

Literas ad te saepius dedi, Pontifex amplissime, quibus sic te evocabam, ut nihil acrius, nihil concitatius fieri posset<sup>291</sup>. Sed accidit perincommode, quod te adhuc videre non potui. Tuas ego certe occupationes arbitror hoc tibi officii iter interrupuisse, nam amoris nunquam eas puto interrupturas. Multa sunt profecto, quae me hac in causa, quam apud Ser.mum Regem vestrum suscepi, sollicitant anguntque, quae mihi videor, consilia ac sermones tuos nactus, facile exhaurire posse. At sollicitudinum mearum aculeos istos occultabo, neque huic epistolae atque ignoto tabulario committam.

Varsoviam ego cum Rege vestro sum brevi accessurus, ibique, si fortasse aderit, cum Rev.mo Archiepiscopo Gnesnensi<sup>292</sup> loquuturus. Quem si eo in loco minime convenero, ubicumque erit, statui ad eum me conferre. Utinam tu mihi his in locis aliquando occurras. Te enim inprimis habere cupio, quocum omnia communicem. Illud autem scito, congressum nostrum Summo Pontifici haud mediocrem voluptatem allaturum. Multum namque tua illa praestanti pietate confidit. Bene valeat Rev.ma Dominatio V.ra meique huius desiderii, quo tantopere ardeo, non obliviscatur. Datum Vilnae, X<sup>o</sup> Calendas Ianuarii [M.D.]LV.

Rev.mae Dominationis Tuae observantissimus

(<sup>a</sup>-A[loisius] Lipomanus indignus Epus Veronensis Nuncius Apostolicus<sup>a</sup>)

<sup>a-a</sup>) *Autographum.*

## N. 62.

**Ioannes Drohojowski, epus Vladislaviensis  
Aloisio Lippomano**

Volboriae, 25 XII 1555.

*Ad litteras eius respondens declarat se rerum suarum privatarum causa Gedani fuisse, nihilominus concionatores admonuisse, ut doctrinae suae rationem redderent; attamen cum a se vocati in praetorium non venissent, et ipse vidisset concionatores et populum se in templo mirum in modum gerere, se eos iterum in praetorium vocavisse, ut huius rei rationem redderent; cum iterum venire neglexissent, se senatui in memoriam reduxisse edicta Sigismundi I, a Sigismundo Augusto confirmata, de religione non mutanda et concionatoribus Lutheranis non fovendis; ad id sibi responsum fuisse in potestate senatus non esse populum continere, et quomodo aliquot ante annos epus Matthias Drzewicki a plebe coactus fuerit ad concionatorem quendam liberandum, quem in vincula coniectum*

<sup>291</sup> Vide supra, N. 49, 54-55.

<sup>292</sup> Nicolaus Dzierzgowski.

*teneret; se igitur eos hortatum esse, ne saltem concionatoribus permitterent papam, episcopos et sacerdotes conviciis et iniuriis afficere; idem se concionatoribus ipsis dixisse, cum interea venissent, simulque eis in memoriam reduxisse eos nullo permissu suo praedicare. Significat istum congressum suum cum concionatoribus a quibusdam descriptum fuisse prout foedus episcopi cum praedicatoribus initum, quibus episcopus dexteram porrexerit eosque fratres appellaverit et permiserit, ut clerum conviciis proscinderent, dummodo se ipsum ab iniuriis immunem relinquerent. Afirmat id nihil aliud esse quam calumniam; verum autem esse eos petiisse, ut communionem sub utraque specie sibi sumere liceat, pecuniam sibi dare promittentes; se tamen id illis negasse, et cum ea de re secum disputare voluissent, eos ad annuntiatum concilium remisisse. Dolet se eum in Polonia coram salutare non potuisse et asserit se contra Lutheranos agere non posse, cum iurisdictio episcoporum in illos in novissimis regni comitiis suspensa fuerit; culpam vero diffusionis doctrinae Lutheranae in Curiam Romanam rei-ciendam esse, quae nihil agat, ut eius incrementum in Germania coerceat, unde in Poloniam facile transire possit.*

**Cop. coeva:** Milano, BA, ms. D. 175 inf., f. 147r-151v (non accessibilis).

**Cop. saec. XVI:** Roma, APUG, ms. 588 f. 104r-117r.

- **Cop.:** AV, F.Borghese I 163-169 f. 59r-71v.

- **Cop.:** Venezia, BM, Ms. It. V (5668) f. 272r-279v.

**Cop.:** Torino, AS, Racc. Mongardino, ms. 82 f. 294r-300v (errata datatione: "25 8bris 1555").

**Cop.:** BV, Barb.Lat. 851 f. 249r-261r.

- **Ed.:** Rykaczewski I, p. 5-12.

Rev.mo in Christo Patri et Domino, D.no Aloisio Lippomano, Dei gratia Epo Veronensi et Sedis Apostolicae Legato, Domino maiori colendissimo etc.

Rev.me Domine maior colendissime, mei et obsequiorum meorum [104v] diligentissimam commendationem.

Legi literas Rev.mae Dominationis V.rae, ut singularibus erga me benevolentissime eius notis respersas, ita acerbas et minaces, quas non tam puto ab eius ingenio, humanitatis pleno, profectas, quam ex delatione hominum malevolorum compositas<sup>293</sup>. Atque ut cognoscat Dominatio V.ra Rev.ma delatores istos non gravissimos esse viros, ut eos vocat, sed vanissimos, accipiat velim de rebus Gedani a me factis: Me proximis diebus Gedani fuisse fa-teor, Senatui Urbis illius interfuisse non nego. De eiiciendis illinc falsis Con-cionatoribus ex decreto Maiestatis Regiae debuisse me quicquam agere prorsus ignoro, rerum enim mearum causa in Prussiam profectus eram, non Regis iussu, nec ulla publica necessitate im[105r]pulsus. Et tamen, cum Geda-

<sup>293</sup> Cfr. supra, N. 58.

ni, ac potius in pago meo Stolczbergh, qui tantum non attingit moenia Urbis<sup>294</sup>, essem, meque et Senatus Urbis et multi populares et Sacerdotes, quotquot sunt Gedani, inviserint, nec concionatores Lutheranos inter eos viderem, dixi illis, pro meo loci Ordinarii officio, diem, ut rationem doctrinae suae de eis cognoscerem. Verum illi, seu conscientia malae mentis, seu contumacia, seu quavis alia causa, se ad diem non steterunt. Duo tamen ex Senatu pro eis, ut dicebant, venerant citatorumque absentiam nonnullis excusationibus defendebant. Quam me accipere necesse erat, praesertim cum dicerent illos tempore alio, sponte sua ad me venturos esse, rationemque omnem, [105v] et doctrinae et ministerii sui ecclesiastici reddituros.

Paucis post diebus in Urbem, quae, ut dixi, a Stolczebergh vix stadii spatium abest, veni ac templum ingressus sum, ubi unum Concionatorum audivi, qui quidem duas omnino horas apud populum concionatus est. Quamvis autem sermonem, quo utebatur (Germanice enim concionatus est) non intelligebam, tamen habui unum et alterum peritos eius linguae, qui iussu meo dicta eius excipiebant, mihiq; tandem omnia retulerunt. Neque habui in quo reprehenderem illam concionem, in iis enim locis versabatur, qui communes nobis sunt cum Lutheranis. Concione peracta, Presbyter meus ad summam Aram rem divinam habuit. Verum populus, [106r]ubi conspexit eum vestitu in nostris templis usitato indutum, discessit cunctus e templo, qui erat in concione frequentissimus. Mulierculae tantum aliquot et pueri remanserant, qui tanquam rem admirandam spectabant et admirabantur.

Altera die in Praetorium, quo Senatum coegeram, ivi. Iusseram quidem, ut cum eo quoque concionatores Lutherani praesto essent, ut quae dicerem ipsi quoque cum Senatu audirent. Verum cum illi venire negligerent, exposui Senatui, quae necessaria putabam. Reducebam illis in memoriam edicta Sigismundi Primi, Regis Poloniae, etiam ab hoc Rege, Sigismundo Secundo, qui nunc nobis imperat, confirmata, de religione more vetere et ad hunc diem in Ecclesia Catholica usitata administranda, [106v] de Concionatoribus Lutheranis non fovendis, de iis, qui haereseos notati essent, ex Civitate eiiciendis, aut certe puniendis<sup>295</sup>. Hortatusque sum illos ad observantiam illorum edictorum, in quae ipsi, aut maiores sui, iurassent<sup>296</sup>. Erant et alia, de quibus apud eos verba faciebam, quae quia nihil pertinent ad Religionem, nihil est necesse in praesentia scribi. Tum vero unus de Senatu pro omnibus respondit, se edictorum illorum et meminisse et quantum liceat observantem esse, verum non omnia, quae vellent, sibi per plebem licere, quae adeo sit insolens ut, cum in caeteris se subditam Magistratui profiteatur, in Religione dicat se

<sup>294</sup> Stolzenberg (Polonice Biskupia Górka), pagus episcoporum et capituli Vladislaviensis extra muros Gedanenses, hodie intra moenia civitatis situs.

<sup>295</sup> Agitur de edicto Sigismundi I die 3 V 1520 lato et 7 III ac 5 IX 1523 renovato (ed. Balzer III, p. 579-580, 584 ac IV/1, p. 28-30), 8 V 1525 Gedanensibus in memoriam redacto ob temptatam in civitate rerum publicarum et religionis permutationem (cfr. Bogucka HG II, p. 243). Confirmatio Sigismundi Augusti procul dubio spectat ad edictum a. 1550, de quo supra, in nota 280, dictum est.

<sup>296</sup> Post seditionem mense Aprili a. 1526 sedata 1526 (Bogucka HG II, p. 245-246).

nemini, praeter Deum, obtemperare velle. Narrabant Drevecio Episcopo, cuius in locum ego sextus successi<sup>297</sup>, Gedani factum fuisse, ut cum ille Concionatorem Lutheranum apprehendisset [107r] et in suo diversorio in vincula coniectum tenuisset, plebem omnem, cum primum id rescivit, subito ad aedes illas confluisse ac lapidibus, gladiis et quicquid aliquis ad manum habere potuit, fores ac fenestras impetiisse, nec prius ab opere coepto destituisse, quam Concionator illis redditus esset. Narrabant et alia non dissimilia facinora, quae plebs defendendae Religionis praetextu designavit, nec se furori huiusmodi totius multitudinis resistere posse dicebant, aut enim in omnes animadvertendum esset, aut omnibus parcendum. Cumque pri[mum] facere impossibile sibi sit, secundum se facere necessario. Neque igitur se Concionatores istos eiicere posse sine turbis maximis, qui tamen si eiicerentur, certe id cum summo odio Sacerdotum Catholicorum fieret, a quibus vix plebs contineri posset, quin eos ex Urbe exturbaret aut insignibus iniuriis [107v] afficeret. Ad haec etiam dubitandum non esse, quin plebs omnino faceret, ut in locum istorum expulsorum alios invenirent. Quae commutatio vix eiusmodi esset, ut pro istis meliores haberentur; fortasse qui accerserentur, aut istis similes aut peiores essent.

Haec fere erat Senatus responsio ad hortationem meam. A quibus ego nihilominus contendebam, ut si eos eiicere non possent, a conviciis tamen eos dehortarentur, quibus insectari eos solent, qui absint, nec eorum conciones audiant. Quibus conviciis etiam homines ab hoc genere doctrinae non abhorrentes minime delectentur. Proferebam tum Illustrem Ducem Prussiae<sup>298</sup>, qui coram certis hominibus narraret se aliquando concioni illorum interfuisse, cum quidam, qui concio[108r]nabatur, tertio quoque verbo vel Papam, vel Episcopos, vel Sacerdotes nominaret, omnique impetu sermonis in eos ferebatur, probra et omnia maledicta in eos conferendo, quasi vel nemo in suo officio, praeter Sacerdotes peccaret, vel nihil esset in concionibus huiusmodi dicendum aliud, praeter convicia et maledicta.

Haec ubi a me dicta sunt, tum unus Senatorum dixit concionatores illos pro foribus stare, eosque potius vocandos esse, qui pro se loquantur. Ego, quia, uti iusseram principio, non erant, cum verba de isto eorum officio ad Senatum facerem, nolui ut deinceps venirent; satis esse si Senatus, quae de me audisset, ea illis exponeret ac ab ista insolentia eos reprimeret. Verum cum totus Senatus me rogaret, ut eis adesse et pro se loqui liceret, passus [108v] sum eos venire. Venerunt itaque atque excusationem attulerunt diei, quae illis a me dicta fuerat, non obitae, non se id contumacia fecisse, sed cum plebem putabant repelli nullo modo posse quin comiteretur, timuisse se, ne

---

<sup>297</sup> Matthias Drzewicki (1467-1535), epus Vladislaviensis a. 1513-1531, postea aepus Gnesnensis. Cum a. 1524 Gedani fuisset, unum ex concionatoribus Lutheranis, Paulum Grunewald, in carcerem coniecit. Quae res tumultus in civitate excitavit, ita ut captivus liberatus sit 2 III, episcopus autem Gedano discedere debuerit (cfr. W. Pocięcha, *Drzewicki Maciej*, PSB V, p. 411).

<sup>298</sup> Albertus e marchionibus Brandenburg-Ansbach.

molesti essent potius, quam officiosi adversum me. Addiderunt de doctrina se non aliud [praedicare], quam quod in sanctis libris probatorum doctorum contineretur. Tum ego huiusmodi fere verbis allocutus sum illos: Boni Fratres, audio quidem vos a civibus commendari, et de doctrina et de vitae probitate, verum tamen ego id probare non possum, quod docetis hic nulla auctoritate, nam nec a me, qui sum loci Ordinarius, nec a meis officialibus, nec a Parocho huius loci potestas vobis facta est praedicandi. Utrumque [109r] est, velim vos adhibere moderationem in praedicando, ne vel res inuisitatas doceatis vel conviciis aliquem proscindatis. Intellexi vos saepe conciones fere totas consumere in ordines superiores, et praesertim in officium Episcoporum et Sacerdotum invehendo, quasi nemo in suo officio peccet praeter Episcopos et Sacerdotes. In hoc servitis auribus vulgi, cui huiusmodi voces gratiae sunt, cum in ordines superiores omnes culpae reiiiciuntur. At si servire velletis utilitati eorum, ad quos verba facitis, potius peccata eorum argueretis, nominibus vero Episcoporum parceretis, qui hic non sunt, nec vestras conciones audiunt. Quem enim fructum facitis vestris concionibus, si quorum peccata arguitis, hi vos non audiunt, [109v] [et] qui vos audiunt, eorum peccata conticetis? Non est hoc concionatores agere, sed conviciatores. Ego nollem vos venire in aliquod discrimen, sed certe venietis, si nominatim Episcopos, aut quemvis alium perstrinxeritis, sique vestris concionibus turbas aliquas excitaveritis.

Haec fere oratio mea erat ad concionatores, tum quidem habita, cum et quidam Ecclesiae meae Wladislaviensis et familiares mei multi adessent, qui omnia verba, quae tunc inter me et Senatum et illos praedicatores ultro citroque habita sunt, audiverunt. Si iam Dominatio V.ra Rev.ma haec conferrat cum sermonibus gravissimorum illorum virorum, facile cognoscet vanitatem eorum summam, nihilque esse praeter calumnias et [110r] convicia. Scripsit quidam eorum ad hominem nonnullum in literis, quae mihi visae et lectae sunt, me illis ipsis concionatoribus dexteram societatis dedisse. Ego vero si dexteram alicui porrigerem, in eo me nihil peccare putarem. Vulgare est hoc officium, quod etiam homines prorsus inter se ignoti mutuo sibi praestant, nec tamen qui hoc faciunt mox societatem coiisse dicendi sunt. Itaque si concionatoribus dexteram dedissem, hoc nullo modo nec apud Paternitatem V.ram Rev.mam, nec apud quemvis alium negarem. Sed nec dedi, nec societatem aliquam cum eis feci. Appellavi quidem eos fratrum nomine, sed id magis ex more feci et ex consuetudine, quam ut cum eis, ut ille idem [110v] scripsit, Ecclesiae Catholicae hostis esse vellem. Scripsit ista homo morum nostrorum non ignarus, sed in hoc calumniatoris magis, quam gravissimi hominis officio functus est. Quis enim apud nos hoc non facit cum hominibus sortis inferioris colloquendo, ut eos appellet fratres?

Quod vero ex istorum gravissimorum (si diis placet) hominum significatione Dominatio V.ra Rev.ma scripsit me concionatores Gedanenses hortatum esse, ut ne suas conciones intermitterent, vanissimum est et a me ne

somnium quidem. Quod item ex eadem delatione scripsit, me ita rem cum illis composuisse, ut contra officium episcopale praedicarent, modo ne mihi obloquerentur, longissime a vero abest. Quid enim vetarem obloqui illos mihi, qui ne visi quidem [111r] antea a me fuerunt. Tantum abest, ut cum eis aliquod verbum unquam commutarem. Nec sciam an deinceps unquam sum visurus eos. Contra officium episcopale si quem dicere permittat Episcopus, an non permittit eundem etiam contra seipsum loqui? Isti gravissimi Delatores non tantum nocere mihi student, homini innocenti, falsis criminationibus, sed et sensu communi privare conantur, dum parum inter se congruentia fingunt. Non erat quicquam aliud, quod ad Religionem pertineret, Gedani actum dictumve a me, praeter illud, quod tacere nec possum, nec volo: Fuisse nonnullos, et ex Senatu et ex plebe, qui a me contenderent, ut sibi per me utraque specie Sacramenti Eucharistiae uti liceret; cogere [111v] se velle a singulis civibus pecuniam quotannis pollicebantur, quam mihi numerarent, dummodo id eis cum bona gratia concederem. Quibus ego respondi, me non eius rei causa Gedanum venisse, ut aliquid contra ea, quae longo usu in Ecclesia recepta essent, statuerem; neque me pecuniam, neque ulla munera optare ob rem, quae gratis concedenda foret, si meae potestatis esset; verum meum non esse, quod publico Christiani orbis consensu sancitum esset, id irritum reddere; Concilium generale expectandum esse, illicque de rebus omnibus ad Christianam Religionem pertinentibus agendum potius, quam privata auctoritate aliquid innovandum, quod unitatem Christiani nominis rumperet.

Contra illi nitebantur, [112r] nihil opus esse decretis Conciliorum de rebus apertis, quae verbo Dei definitae essent, cum quidem verbum Dei omnibus humanis decretis praefendum esset. Atque in hoc Concionatores suos paratos esse dicebant de hac re et omnibus Christianae Religionis articulis rationem reddere. Petebantque a me, ut eos de hac re vel concionantes, vel cum quovis disputantes audirem. Tum ego, qui non ad disputandum vel aliquid novi in Religione constituendum illuc veneram, intelligerem etiam concionatores illos ad disputandum esse ex libris Lutheranis bene instructos, meque neminem habere, qui cum illis committi posset, et scire me dixi frustra id a me peti, me tamen postulata haec illorum ad Synodum perlaturum esse [112v] pollicitus sum. Nihil praeterea de Religione ibi actum est.

His igitur expositis, ad reliqua literarum V.rae Paternitatis Rev. mae redeundum mihi est. Ac in primis vehementer laetor, quod Paternitas Vestra Rev. ma dicit se non posse adduci, ut delationibus istis credat, indignumque esse affirmat, ut haec de viro gravi credantur, quae de impio vix crederentur. Venit mihi in mentem legendis tuis praeclara illa sententia: Nervos atque artus sapientiae esse, non temere credere. Itaque et sapientiam tuam exosculatus sum, et quae de te tuaque prudentia, virtute et doctrina nostri homines, cum Synodus nominatim de te ad nos vocando decerneret, commemorarent, verissima esse cognovi. Quibus quidem virtutibus [113r] tuis utinam

aliquid grati praeberere possem. Illud me cruciat, te a me, cum hac iter faceres, pro dignitate exceptum non esse. Verum et ego aberam, et Capitaneus meus praesens non erat. Tuum vero adventum tam celerem non sperabamus, vel cum Nuncio, quem ad Ss.mum Dominum Papam Episcopi miseramus<sup>299</sup>, vel post eius adventum te expectabamus. Ita factum est, ut nec obviam tibi iverim, nec pro eo, ut par erat, te exceperim. Verum, quod omissum est, forte dabitur occasio sarciendi, si quando hac iter feceris. Volo enim et domum et omnia mea tibi aperta esse, ut illis perinde uti possis atque ego ipse.

Sed ad literas tuas redeo. Quod me Paternitas V.ra Rev.ma orat, monet, hortatur, ut ne me ullis errorum tenebris involvi patiar, [113v] id ego et studui et studeo et semper pro virili studebo. Quod officium episcopale multis verbis ornat et commendat, agnosco verissimum esse, nec ego unquam sensi diversum. Quod vult, ut Sanctum Marcellinum, Romanum Pontificem, imitando, salutem et famam meam consulam, ego vero facerem si quando, ut ille, idolatra essem. Quod vult, ut Gedano concionatores illos expellam, id vero nec mihi licere, nec potestatis meae esse, pro certo sciat. Ait Paternitas V.ra Rev.ma hoc ex edicto Regis faciendum esse, imo sciat edicto Regis, Conventus auctoritate facto, id comprehensum esse, ut episcopalis auctoritas conquiescat ad usque vel Concilii nationalis, vel Conventus generalis celebrationem<sup>300</sup>. Hoc sciunt omnes Regnicolae, hoc Prussia non ignorat. Qui igitur pelere vellet Dantisco [114r] Concionatores, an non contraveniret edicto Regio? et quidem tali edicto, quod in Conventu universorum consensu ordinum omnium interpositum est. Multis in pagis et quibusdam in oppidis Regni Concionatores Lutherani concionantur. Si quis Episcoporum illos pellere vellet, an non turbas et bellum intestinum excitaret? Quid igitur fieret si in Prussia id agere ipse tentarem, cuius Civitates privilegia maiora habent, quam nostrae? Ego vero existimem, qui id moliretur, eum non tantum desertorem Regis et communis pacis violatorem esse, sed et tumultuum ac potius belli excitatorem. Quod haud scio quem tandem exitum esset habiturum. Non igitur permittit sibi Dominatio V.ra Rev.ma [114v] persuadere ab istis viris gravissimis, me ex Regis decreto ad depellendos Concionatores Dantiscum missum fuisse. Cum exercitu mihi erat accedendum ad Urbem illam, cum bombardis et omnibus bellicis instrumentis, si decreta huiusmodi exequenda essent, non tantum cum familia, quae praeter itinerarium apparatus, nihil ferebat secum. Non est igitur causa, cur deferendus sim ad Ss.mum D.num Papam. Alioquin eadem ratione omnes Poloniae Episcopi deferendi essent. Quod si quis iniuste me detulerit, dabo operam, ut omnibus remediis utar, ne mihi delatio huiusmodi noceat ac in caput delatoris recidat.

Non sum oblitus, quod mihi Paternitas V.ra Rev.ma in memoriam reducit, [115r] nomen meum Iulio III Pontifice ad Romanam Curiam delatum

<sup>299</sup> Franciscus Krasinski, vide A. 4.

<sup>300</sup> Agitur de "Interim", in comitiis Petricoviensibus recepto, quo iurisdictio episcoporum in haereticos ad celebrationem usque concilii generalis vel nationalis suspendebatur, vide A. 3.

fuisse ac per literas Regis purgatum. Verum delationem falsam facile erat confutare. Et rem totam a malevolis hominibus confectam, argumento est, quod per illud tempus in me fuit intenta, cum mihi a Rege mandaretur munus Episcopi Vladislavensis. Quod cum delatores avertere vellent, usi sunt artibus suis, quas illi exercerent clam et impune. Utinam vero haec faciant recte et commodo Reipublicae. Sed tempus illud praeteriit. Nunc vero, cum Dei adiutorio, spero mihi rationes non defuturas, quibus resistam falsis criminationibus. Quod enim isti gravissimi viri clamitant, me contra Gedanenses non functum esse meo officio, velim ut vel ipsi vel [115v] Dominatio V.ra Rev.ma, vel quivis alius doceat me modum et rationem agendi contra eos et quosvis alios Lutheranos. Arma contra illos sumere mihi non licet, qui aliis rationibus pugnare debeam quam bellicis instrumentis. Nec est tantum, quod haud scirem, an par illis essem, vel viribus vel rebus ad pugnam necessariis. Et in ius vocare et excommunicare illos omnes Episcopi vetamur, cessatione ista officii episcopalis ad tempus vel Concilii nationalis, vel Conventus Regni generalis, indicta.

Quid igitur agendum? Rerum natura non fert, ut cui rationes omnes bellandi praecusae sint, is alicui inferat bellum. De hoc si me aliquid certius docuerit Dominatio V.ra Rev.ma, et de me et de ceteris Episcopis multum mereatur. Atque utinam, Rev.me Domine, non huc malorum perventum esset, [116r] ut huiusmodi feriae Episcopis apud nos indictae fuissent, per quas non licet nobis officio muneris nostri fungi. Quibus malis quis tandem ansam dedit? Multa fortasse hic dici possint, sed liceat mihi, quaeso, cum bona gratia Paternitatis V.rae Rev.mae aliquid de iis liberius loqui: Germania, Provincia vicina nostrae, doctrinis novis plena, easdem transmisit ad nos. Qua in re et vos, qui Ss.mo D.no Papae proximi estis, culpa vacare non potestis. Illinc enim erant vobis et Concionatores falsi expellendi et doctrina falsa eiicienda et eradicanda. Hoc vos neglexistis. Itaque factum est, ut omnia illa ex Germania ad nos influxerint. Quadraginta prope anni sunt, cum Lutherana doctrina in Germania surrexit. Ea per vos extincta ad hunc diem non est, et vultis, ut nos, qui minus [116v] doctrina, auctoritate et re omni pollemus, subito depellamus ignem a vicini pariete ad nos illatum? Ego quidem ingenue fateor, non id mearum virium esse. Si cui ea facultas est, utinam ea utatur, operamque suam praestet, ut res sine turbis et motu publico componatur.

Longiorem fortasse epistolam scripsi, quam Paternitas V.ra Rev.ma vellet, sed nescivi brevioribus verbis me purgare. Id vero cui vitio vertendum sit, quam delationibus falsis eorum, qui seu pietatis seu cuiusvis rei praetextu tot in me mendacia composuerunt, foveasque mihi fodere non cessant, in quas ipsi tandem iusto Dei iudicio collabentur<sup>301</sup>. Literas Ss.mi Domini Papae osculatus sum et legi libentissime. Dabo operam, ut eius de me expec-

<sup>301</sup> Cfr. Ps. 56, 7 et alibi.



tationi satisfaciam. Commendo me unice et officia, quaecumque a me praestari possint, [117r] Paternitati V.rae Rev.mae. Quae sana et felix valeat quam diutissime. Volboriae, die XXV<sup>a</sup> Decembris, anno M.D.LV<sup>o</sup>.

Eiusdem Rev.mae Dominationis V.rae

servus et frater obsequentissimus  
Io[annes] Vladislaviensis Episcopus indignus

**N. 63.**

**Aloisius Lippomano**  
**Stanislao Hosio epo Varmiensi**

Vilnae, 28 XII 1555.

*Se eum et archiepiscopum (Nicolaum Dzierzowski) Varsaviae visurum esse gaudet et sperat colloquia eius cum duce Prussiae (Alberto) habenda effectura, ut ille ad fidem catholicam revertatur.*

**Or.:** Gotha, FB, ms. Chart. A. 381 f. 61r. In f. 61av inscriptio et sigillum.  
**- Ed.:** Hipler-Zakrzewski HE I, p. 647.

Rev.me in Christo Pater.

Scripsi ad Rev.mam Paternitatem Vestram paucis iam ante diebus me cum Ser.mo Rege Varsoviae iturum<sup>302</sup>. Cum vero iter iam ingredi vellem, cras namque summo mane sum recessurus, venit ad me puer suus, mihique ab ea litteras reddidit<sup>303</sup>, quibus, quando ex hoc itinere multis cum ea agere non possum, paucis respondebo. Si eam mihi Varsoviae videre contigerit, fore id mihi gratissimum, cum nunquam Rev.mum D.num Archiepiscopum<sup>304</sup> sim alloquuturus; illud profecto omnibus mihi erit antiquius nostris eam interesse sermonibus. Quid enim boni ex tam pii viri tamque de christiana re bene meriti praesentia sperandum non est? Age, illud obsecro, et tu, si potes accede, Pontifex humanissime, eaque in re Summi Pontificis cura ut morem geras voluntati. Cupit enim et is mirum in modum nostrum utriusque congres-

<sup>302</sup> Vide supra, N. 61.

<sup>303</sup> Epistula haec non est reperta.

<sup>304</sup> Nicolaum Dzierzowski.

sum. Nec te moveat, quod Rex ea ex urbe sit cito recessurus, ego namque post eius discessum aliquot ibi dies commorabor.

Quod ad legationem illam attinet, audivi ex Cromero optimam iam ex ea spem bonis omnibus iniectam, Ducem ipsum tuo hortatu ad cor rediturum, et ex qua lapsus est in viam Domini facile<sup>a)</sup> reversurum<sup>305</sup>. Det tibi Dominus Deus, ut hominem lucrifacias. Illud certe scio consilium atque auctoritatem tuam plurimum ea in re proficere posse. Bene valeat Rev.ma Dominatio V.ra. Datum Vilnae, quinto Calendas Ianuarii [MD]LV.

Rev.mae Dominationis V.rae observantissimus

(b-A[loisius] Lipomanus indignus Epus Veronensis Nuntius Apostolicus

Amplitudinem tuam enixissime rogatam velim, ut sese Versoviam omnino conferat. Necessaria est enim futura ibi eius praesentia pro his enucleandis aut [.....]<sup>c)</sup> mutua iudicia<sup>b)</sup>.

a) *Adscriptum in margine.*

b-b) *Autographum.*

c) *2 vel 3 verba prorsus illegibilia.*

## N. 64.

**Bona, regina Poloniae**  
**Aloisio Lippomano**

Varsaviae, 28 XII 1555.

*Mittit litteras Roma acceptas. Rogat, ut se in itinere suo in Italiam comitari velit vel saltem - ante discessum ex Polonia - Varsaviae conveniat.*

**Cop.:** BV, Barb.Lat. 5805 f. 73r (in cancellaria Lippomani confecta).

Copia d'una lettera della Ser.ma Regina Bona,  
destinata a Mons. il Noncio,  
scritta in Varsovia alli XXVIII di Dicembre del M.D.LV

<sup>305</sup> Cfr. Is. 46, 8 et Jer. 25, 5. Agitur de missione 12 XII 1555 Hosio a Sigismundo Augusto demandata, ut se ad ducem Albertum conferret eumque cum subditis reconciliaret (v. Hipler-Zakrzewski HE II, p. 643).

Rev.de devote, syncere nobis dilecte. A tale che V.ra Signoria Rev.ma conosca come le lettere, quali n'ha mandate per Italia, hanno havuto quel buon ricapito che ella desidera, n'è parso con questa nostra mandarle questa inclusa posdata<sup>306</sup>, ricevuta in questo medesimo giorno entro d'alcune lettere dell' agente nostro di Vienna. Et perché li giorni di sopra per un cubiculario nostro l'habbiamo mandato, pregando fusse contenta di volerne far compagnia sino in Italia<sup>307</sup>, il che con gran desiderio stiamo aspettando per intender la resolution sua, n'è parso con questa nostra replicarle il medesimo, con dirle di più che quando per sorte non le paresse di partirsi di coteste parti, pur siamo forzata pregarla non voglia mancar di ritrovarsi qua da noi nel tempo. Vi si ritroverà anche il Ser.mo Re, nostro figlio, perché habbiamo gran desiderio, prima ne partiamo, di ragionar con lei. Si che, se desidera di farne cosa grata, non mancherà, come strettamente ne la preghiamo. Alla quale Nostro Signore Iddio conceda il fine de' suoi desideri.

## N. 65.

**Alfonsus Salmerón SJ**

**Ignatio de Loyola, praeposito generali SJ**

Vindobonae, 1 I 1556.

*Nuntiat se de profectione sua Vindobonam iam ei scripsisse. Nunc certio- rem eum facit sibi post adventum Vilnam 28 X 1555 renuntiatum esse regem, ad negotium religionis quod attinet, in concilio generali vel nationali unicum remedium conspiciere. Nuntiat propter animos nobilium in Ecclesiam hostiles nullam spem esse collegii Societatis Iesu in Polonia instituendi, de qua re se cum secretario regio sibi amico collocutum esse. Significat nuntium in Italiam reverti cogitare et eius rei causa auditorem suum, cui se quoque adiunctum fuisse, ad papam mittere; se itaque, acceptis litteris nuntii hoc propositum explicanti- bus, 29 XI Vilna discessisse et 23 XII Vindobonam pervenisse, ibique pedes suos in itinere gelatos medicare; socium autem suum, p. Godefridum, haud multo post, una cum oratore reginae (Catharinae), illuc adventurum. Rogat, ut se a committendo sibi munere theologi penes nuntium Dolfinum absolvendum curet, propterea quod, si forte a Lippomano vocatus fuerit, obligatus futurus sit in Poloniam redire, ut proximis ibi regni comitiis intersit. Vindobonae nova man- data eius se esse exspectaturum. Rogat, ut quae de rebus Polonis scribat, nemini,*

<sup>306</sup> Agitur verisimiliter de litteris Lippomani ad card. Carolum Carafa per reginam missis (cfr. N. 57) et de aliquibus, quae ex Italia ad nuntium datae erant, sed a nobis non sunt repertae.

<sup>307</sup> Cfr. N. 59.

*ne cardinalibus quidem, aperiat, cum id forsán nuntio praeiudicium afferre possit.*

**Autogr.:** Roma, ARSI, Epp.NN. 61 (Epistulae Salmeronis) f. 59r-60v. In f. 60v inscriptio: "† Ihs. Domino ac patri generali Ignatio, soli" et alia manu: "R[ic]evulta alli 24 del medesimo", vestigium sigilli.

- **Ed.:** MHSJ, Epistulae Salmeronis I, p. 132-138.

†  
Ihs

Gratia et pax Domini Nostri Jesu Christi sit semper nobiscum. Amen.

Porque por otra parte tengo scritto a V.ra Reverentia mi buelta de Polonia hasta Vienna, de donde scrivo la presente, y pienso que V.ra Reverencia la recibirá tanto presto como ésta<sup>308</sup>, todavía me a parecido de avisar de nuevo del successo de las cosas passadas y presentes. Llegados que fuimos en Vilna a 28 de Ottubre del 1555, se hizo la enbaxada al rei, y también se uvo la respuesta poco sabrosa, ni correspondiente a los tantos trabajos que en la legación se avían çufrido y çufrían cada día, porque se resolvía el rei en que su reyno no llevaba remedio sino por una de dos vías: o por vía del concilio universal, el qual en tales tiempos de tan poca paz no es congregable, o por vía de concilio national, el qual en la Iglesia Cathólica nunca se hizo para definir las controversias de la fe. Assí que assomando esto él y ateniéndose a estas dos vías, no parece que las cosas del reyno puedan tomar algún assiento bueno en la religión, por estar la nobleza dél [sic] quasi toda corrompida destas novedades<sup>309</sup>.

Después desto se an hecho algunos otros razonamientos con el rey y con algunos otros señores cathólicos, y hállanse tan cerradas las puertas para hazer algún fructo, que a todos nos a dado harto trabajo y desconsolación. Assimismo hablando con un secretario del rey, amigo nuestro<sup>310</sup>, sobre el assunto de algún collegio en el reyno para ayuda de la religión, hallé no solamente dificultad, como a mí me parecía, mas aun impossibilidad para ello, stando las cosas como están, porque aquello poco que avía de religiones, en gran parte se va deshaziendo y los nobles van ocupando las rentas y bienes, dissimulando a quien tocca corregir semejantes errores, immo las cosas van de arte, que a los obispos no faltan señores temporales que se les atreven a tomarles sus tierras y castillos, sin que se les pueda resistir o contradezir por vía de razón o justicia. Contra los herejes ningún obispo puede proceder

<sup>308</sup> Epistula haec non est reperta.

<sup>309</sup> Cfr. supra, N. 42, 48, 50.

<sup>310</sup> Agitur verisimiliter de Martino Cromero.

en sus diócesis<sup>311</sup> y assí creçen los males y zizanias cada día, y de todos estos males se creen ser causa los malos consejeros, que nunca faltan a los grandes señores, los cuales prevaleçen en auctoridad y número.

Viendo esto el nuncio, fáçilmente se volviera luego en Italia, si para ello uviera primero avido liçençia de Su Sanctidad; pero por la decençia de la cosa y por dexar primero passar estos grandissimos fríos que reynan en este settentríon, que no dan lugar al poder caminar en este tiempo, ale parecido primero dar parte a Su Sanctidad y después de averlo hecho por letras duplicadas<sup>312</sup>, quiso también hazerlo imbiando una persona prinçipal de su casa, para que a bocca allá refiera lo que buenamente no se deve ni se puede escrevir<sup>313</sup>. A esta persona un día antes que partiesse de Vilna, le pareció que, pues acá no avía más que hazer ni avía más speranza de fructo, y avien-dome yo offreçido a predicar al rey en italiano, no pareçe que lo quisiessen, y viendo [59v] que specialmente Jofre<sup>314</sup> y yo andávamos indispuostos y mal sanos de la crudeza y intemperie del ayre y mutatióon de los alimentos, le pareció, digo, que yo viniessse en conpañia de la persona que mandava al papa, y que yo viniessse también a Roma a referir a Su Sanctidad el successo de las cosas y demandar grata liçençia para la buelta del obispo, y assí sponte et proprio motu, sin yo saberlo, me hizo entender esto y que me apparejasse para tornar en Italia. Yo le fui a hablar diziendo como Su Sanctidad me avía a bocca dado esta obediencia de tener conpañia a Su Señoría Rev.ma y que holgava de cumplirla, y que no mirasse a lo que se çufría, porque para esto se venía, y que Su Señoría Rev.ma y toda su casa çufría hartas descomodidades, y que en tanta conpañia era façil de çufrirlas, pues que solatium est miseris socios habere poenarum. Me respondió que él conoçía bien mi voluntad, pero que, pues no se hazía nada ni avía speranza alguna ni pensava que se podría servir de mí, no le quería verme más padeçer, porque si él pensasse que realmente en algo le uviesse de servir mi estada, en ninguna manera me permitiría tornar, aunque en ello supiesse que avía de morir, pero, pues que allá no avía en que entender [y por]<sup>a)</sup> acá en Italia avía mucho, que me tornase con la benediçión de Dios Nuestro Señor. Yo entonces accepté con condiçión que sobrello escriviesse a Su Sanctidad y a V.ra Reverentia. El fué contento dello, y assí me dió una letra para V.ra Reverençia, la qual yo tengo a par de mí<sup>315</sup>; y también dió orden al que mandava al papa, para que refiriesse a Su Sanctidad como, por no tener más menester mi persona, me avía dado liçençia y me inbiava con él para a bocca referir y confirmar a Su Sanctidad todo lo que el otro le refiriría. Y assí el día de Sancto Andrés, después de aver estado en la

<sup>311</sup> Propter iurisdictionem episcoporum in comitiis Petricoviensibus a. 1555 suspensam, cfr. A. 3.

<sup>312</sup> Cfr. supra, N. 48.

<sup>313</sup> De missione auditoris Livrierii vide N. 56.

<sup>314</sup> Godefridus Cervati (ca. 1530-1593), in Societate Iesu ab a. 1553, socius Salmeronis.

<sup>315</sup> Epistula haec non est reperta.

corte del rey de Polonia 33 o 34 dias, nos partimos, y en 24 jornadas emos llegado en Vienna, donde llegamos a 23 de Dezienbre.

Emos padecido tanto por el camino, y specialmente yo del frío en los pies, que tengo los dedos del pie derecho medio muertos y stúpidos, y otros dolores y trabajos, que me pareció de estar todo el cuerpo como un libro desenquadrado, y assí me e hallado impotente de passar adelante. Y con parecer del que inbía el obispo al papa, como por parecer de los hermanos, eme quedado aquí para restaurarme y rehazermme. Y estoy en manos de médico y çurujano al presente, y se spera que lo de los pies no será cosa peligrosa. Y en lo que yo faltare de llegar a Roma delante de Su Santidad, lo supplirá a bocca la persona que allá va y dirá a bocca a Su Santidad la causa de mi quedada aquí. Tambiën en este tiempo que estaré aquí procuraré de haver mi balixia [sic], la qual hasta agora no es venida desde Augusta, donde está. Y esperaré a Jofre, el qual dexé en Vilna un poco flacco de una tosse grande y fiebres, que avía tenido, pero le dexé mejorado y sin fiebre; y por verle tan flacco, no me atreví a traerlo comigo, por ser el viaje y hosterías y comodidades que se hallan tales, que requieren hombres de hierro. Pero antes que me partiesse entendí que presto avía de partir un gentilhombre de la reyna para el rey de Romanos, y que con él se podría imbiar Jofre, como se rehiziesse en fuerças y estuviesse para ponerse en viaje.

[*Scribit sibi significatum esse nuntium Dolfin velle, ut munere theologi sui in comitiis Imperii fungatur. Petit, ne ad tale munus obeundum compellatur*]. Y para esto ayudaría dezir que por orden del obispo de Verona yo soy aquí venido, y que tornándome a llamar, bolviera a Polonia, donde se hiziesse dieta del reyno, que será diez o doze jornadas de aquí<sup>316</sup>, porque el obispo esto avía hecho en Vilna al tiempo de mi partida, aunque después en secreto me hizo saber que llegasse a Roma si quisiesse como arriva e[ll] escrito. No sé si para impedir esto cumplirá que yo parta de aquí y me buelva en Italia. Y hasta que tenga respuesta de V.ra Reverentia no me a pareçido de moverme de aquí, principalmente por hallarme cansado y necessitado de reposo. Pero en todo me remitto a la providencia de Nuestro Señor y a la sancta obediencia.

[*Nova de rebus Societatis Iesu sibi scribi petit*]. Y porque al presente ésta no es para otro, cesso, rogando a V.ra Reverentia instantemente que quiera las cosas de Polonia tenerlas por secretas y occultas, sin comunicarse a cardenales ni a otros fuera de [60v] casa, porque aunque yo no aya scritto todo lo que passa, que es mucho más desto, como a Su Sanctidad sola se an de referir, todavía el obispo de Verona me ordenó espressamente que no quisiesse dar parte dellas a ningún obispo ni cardenal, porque quedando él en aquel reyno por algún poco de tiempo, no faltaría quien de allá de Roma lo escriviesse en Polonia y pusiesse en peligro de la vida su persona. Assimismo, lo que

---

<sup>316</sup> Salmerón hoc loco confundit comitia regni cum senatorum cum rege conventu, qui mense Ianuario, oblata occasione profectionis reginae Bonae in Italiam, Varsaviae instituendus erat (cfr. infra, N. 68, 70). Comitia autem non prius quam ad mensem Augustum a. 1556 indicta erant (cfr. supra, N. 40).

escribo del nuncio que viene al rey de Romanos, no parece cosa comunicable fuera de casa; solamente se puede dezir como e venido a Vienna por orden del nuncio apostólico Veronense y que estoy aquí por su orden, y que las cosas de Polonia se resuelven o en concilio general ecuménico, o en concilio national, cosas impossibles al presente, ni concessibles quanto a lo del national; y que an escrito y referido al papa para aver liçençia para la respuesta.

Por ésta no digo otro, sino que desseo que con toda brevedad V.ra Reuerentia me avise de lo que ordena que deva de hazer, porque con la gracia de Nuestro Señor lo cumpliré, y él por su infinita bondad y misericordia guarde y conserve a V.ra Rev.da Paternidad con toda la Compagnía en su sancta gracia. Amen. Oy primero de Henero de 1556.

De V.ra Rev.da Paternidad indigno hijo y siervo en Christo.

Salmerón

**N. 66.**

**Card. Iacobus Puteo**  
**Aloisio Lippomano**

Romae, 7 I 1556.

*Nuntiat se ab archiepiscopo (Nicolao Dzierzgowski) de eius in aulam regiam adventu certiore factum esse. Rogat, ut per aliquot adhuc menses in Polonia maneat publici boni causa. Duo brevia mittit. Nova sibi mitti petit.*

**Cop.:** Simancas, AG, Estado, leg. 2008 (Berzosa 6) f. 176r.

Lettera del Rev.mo Card. Puteo di 7 di Gennaro 1556

Molto Rev.do Monsignore mio da fratello. Ho inteso, già più giorni sono, per lettere dell'Arcivescovo di Gnezna<sup>317</sup>, l'arrivata di V.ra Signoria alla Corte et n'ho sentito piacere, sperando co'l mezo suo haversi da trovar qualche buon remedio alle cose della Cattolica religione in cotesto Regno. Certamen-

---

<sup>317</sup> Litterae Nicolai Dzierzgowski ad card. Iacobum Puteo non reperiuntur. Ex responso cardinalis Putei, 13 I 1556 dato, patet litteras archiepiscopi gratiarum actionem continuisse pro missione nuntii (vide A. 14).

te non è minore il bisogno che in questa parte il detto Regno ha di medicina che sia l'espettatione del giovamento ch'ognuno spera et si promette da V.ra Signoria. Onde la prego che non voglia recusar fatica o fastidio alcuno per qualche mese in beneficio di così ampio Regno. Nel quale sarà infinito il merito di V.ra Signoria, ritirando tante anime nella via della salute, tolte dalle mani del demonio.

Si mandano doi brevi di Nostro Signore, come V.ra Signoria vedrà<sup>318</sup>. La quale con ogni possibile destrezza et con la solita sua matura prudenza s'ingegnerà di proveder al tutto. Et quando può rubbare [sic] alquanto di tempo a gli negotii grandissimi che ha tuttavia fra le mani, mi farà piacere d'avvisarmi come trova difficile l'impresa sua et quel che spera o giudichi che n'abbia da seguire. Et Nostro Signore Iddio la prosperi et conservi. Di Roma, a VII di Gennaio 1556.

il Card. Puteo

**N. 67.**

**Nicolaus Dzierzowski, aepus Gnesnensis**  
**Aloisio Lippomano**

Lovicii, 8 I 1556.

*Gratias ei agit, quod de proximo suo Varsaviam adventu sibi significaverit, ubi una cum ceteris episcopis a se illuc vocatis, de cohibendis malis religioni catholicae in Polonia imminentibus simul consultabitur.*

**Cop.:** BV, Barb.Lat. 5715 f. 24r (in cancellaria Lippomani confecta et una cum litteris ad card. Carolum Carafa, 15 I 1556 datis, transmissa, cfr. N. 68).

Copia d'una lettera dell'Arcivescovo del Regno di Polonia,  
mandata a mons. il Nuncio di Lovitio a Varsovia  
sotto il dì VIII di Genaro del M.D.LVI.

Rev.me in Christo pater, domine et frater in Christo char.me et observandissime. Literis Dominationis V.rae Rev.mae, in quibus mihi significavit

<sup>318</sup> Agitur procul dubio de brevibus in causa Ioannis Drohojowski: ad eundem episcopum 5 XI 1555 (ed. Theiner VMPL II, p. 585) et ad Lippomanum 23 XII 1555 (vide N. 60) datis, cfr. A. 18.



de proximo suo adventu Varsoviam<sup>319</sup>, nihil mihi accidere hoc tempore potuit gratius iucundiusque. Illud enim taedium, quo videndae illius mutuosque sermones de tantis rebus cum ea conferendi iam pridem destinabar, penitus mihi abstulerunt, magnaque sollicitudine et cura, quam in mittendis primo quoque tempore in Lithuaniam ad Rev.mam Dominationem V.ram cum plena instructione aliquibus nostris Coepiscopis facere constitueramus, me liberarunt. Quo nomine Rev.mae Dominationi V.rae non mediocres gratias ago, quod nihil laboris nihilque studii et sollicitudinis praetermittat, quo rebus Religionis Catholicae apud nos perturbatis ac pene iam inclinatis maturo suo consilio subveniat nosque ad idem studium cohortetur et incitet.

Siat itaque Rev.ma Dominatio V.ra me una cum caeteris Rev.mis Dominis Episcopis ad XIII diem huius mensis Varsoviam venturum; libenterque eum diem anticiparem, nisi eum conventum ad diem suprascriptum per literas meas iam pridem Rev.mis Dominis Episcopis indixissem<sup>320</sup>. Faxit autem Deus Optimus Maximus, ut in eo nostro congressu eiusmodi rationes investigari possint, quibus late serpens morbus, si non integre sanari, saltem ne longius propagetur cohiberi possit. Quod superest, Rev.mam Dominationem V.ram diutissime sospitem atque incolumem valere cupio.

## N. 68.

**Aloisius Lippomano**  
**card. Carolo Carafa**

Varsaviae, 15 I 1556.

*Notum facit se litteras eius 12 X et brevia ad archiepiscopum (Nicolaum Dzierzowski) et epum Varmiensem (Hosium) data accepisse. Animum suum in concilium nationale alienum patefacit. Significat Franciscum Krasiński se nondum convenisse. Regem et episcopos de infelici statu Ecclesiae sese mutuo accusare nuntiat, se igitur decrevisse eos Varsaviae convenire et de inveniendis opportunis remediis una consultare. Hoc voluntati summi pontificis et archiepiscopi congruum esse censet; istum enim iam episcopos ad 14 I eius rei causa Varsaviam convocavisse. Reginam Bonam se hortatam esse, ut una secum in Italiam reverteretur, seque monuisse, ut - si Vilnae diutius manere vellet - Nicolaum Ra-*

<sup>319</sup> Litterae hae non sunt repertae.

<sup>320</sup> De hac convocazione scribebat Dzierzowski in litteris ad Hosium 1 XII 1555 datis: "Significaveram Rev.mis D.nis Episcopis provinciae meae de ipsius Nuntii adventu et quod opus esset, quod alicubi conveniremus tractaturi de his rebus, quarum causa ad nos ipse Nuntius est missus... Ventura est Maiestas Regia Varsoviam ad valedicendum Maiestati Reginali [Bonae] in duabus hebdomadis post ferias Natalis Domini, pro quo tempore visum erat, quod omnes illuc conveniremus" (Hipler-Zakrzewski HE II, p. 640).

*dziwiłł caveret. Significat ergo se, venia discedendi a rege accepta, qui data occasione reformationem Minorum Conventualium et totius cleri renovationem flagitasset, 28 XII Vilna discessisse et 8 I Varsaviam advenisse, ubi iam reginam Bonam eiusque filiam Isabellam, Hungariae reginam, salutasset. Mittit nova de incrementis haereticorum in terra Posnaniensi. Putat religionem catholicam in Polonia omnino ruituram esse, nisi summus pontifex opportuna remedia ad sanandam eam invenerit. Describit miseram condicionem Ordinis Praedicatorum in Polonia, praesertim monasterii Vilmensis. Nuntiat adventum Varsaviam regis et archiepiscopi, ceteros episcopos in dies expectari. Affirmat se Vilnam non esse reversurum. Gaudet conclusionem belli (inter imperatorem Carolum V et regem Galliae Henricum II) in manu summi pontificis esse. Significat has litteras a tabulario reginae Bonae Venetias iter faciente apportari. Veniam in Italiam redeundi sibi concedi petit.*

**Cop.:** Simancas, AG, Estado, leg. 2008 (Berzosa 6) f. 166v-170r.

**Summarium:** BV, Barb.Lat. 5805 f. 78r (in cancellaria summi pontificis confectum).

Lettera scritta all'Ill.m Card. Carafa di 15 di Gennaro 1556

<sup>376</sup> Catharina (1526-1583), quam tum regi Sueciae viduo, Gustavo Vasa, in uxorem dare cogitabant (cfr. Władysław Czapliński, PSB XII, p. 218), postea uxor eius filii Ioannis (ab a. 1562).

<sup>377</sup> Anna (1523-1596), postea regina Poloniae. Eam tum uxorem ducere cupiebat, auxilio Alberti ducis in Prussia, Adolfs dux Holsatiae (Holstein), cfr. Sigismundus Augustus Alberto, 2 VI 1556 (Lancorońska DARPII, p. 113).

<sup>378</sup> Stanislaus Hosius.

<sup>379</sup> Nicolaus Radziwiłł, dictus Niger.

<sup>380</sup> Nescio, unde Lippomanus haec hauserit. In *Vita S. Germani*, epi Autisiodorensis (Auxerre) a. 418-448, ne verbo quidem uno nominatur Nicontius Arvernensis (Auvergne), neque de huiusmodi hospitio ab alio aliquo Germano oblato mentio ulla habetur (v. Migne PL 124. col 1131-1208).

<sup>381</sup> Stanislaus Tęczyński et Ioannes Ocieski.

il Palatin di Vilna, il quale hora è Domine fac totum; che se pure il Re stesse in Polonia, sperarebbono ogni bene, ma stando piantato in quella Littuania, non san che potermi dire, senon piangere meco le communi miserie; et che per quanto a loro spetta, non mancheranno mai del debito suo, volendo morir buoni Christiani et nella Santa Fede Cattolica.

Io, piacendo al Signore, lunedì<sup>382</sup> partirò di qua per Loviz, luogo del Reverendissimo Arcivescovo, et ivi starò aspettando qualche avviso da V.ra Signoria Ill.ma, se pur si degnerà darmene una volta. Et quel che piace a Sua Santità si faccia della mia persona; che, quanto al mio desiderio, vorrei si risolvesse di farmi venir a lei quanto più presto. Nostro Signore Iddio conservi V.ra Signoria Ill.ma sana et felice. La qual sarà contenta in nome mio baciargli beatissimi piedi di Sua Santità. Di Varsovia, a 30 di Gennaro 1556.

A[loyse] L[ipomano] V[escovo] di Verona

**N. 75.**

**Andreas Zebrzydowski, epus Cracoviensis**  
**Aloisio Lippomano**

s.l.d. [initio Februarii 1556].

*Rogat, ut apud summum pontificem efficiat, quo habeat indultum conferendi beneficia, in dioecesi sua in mensibus pontificiis vacantia.*

**Or.:** BV, Barb.Lat. 6507 f. 17r (manu Andreae Patricii Nidecki). In f. 17v inscriptio, vestigium sigilli et summarium.

Rogo, Rev.me et multum charissime mi Domine Orator, si contigerit scribere Rev.mae Dominationi V.rae Ss.mo Domino Nostro, efficere dignetur, ut habeam indultum conferendi beneficia Dioecesis meae in mensibus apostolicis propter viros doctos, quos ut tanto plures retinere apud me potuerim, quanto magis periculum hoc religionis, aut potius defensio contra adversarios illius, exposcerit. Habui enim eam gratiam a pia memoriae divo Paulo

---

<sup>382</sup> Die 3 Februarii.

tercio<sup>383</sup>. Debebo hoc nomine, licet aliis multis iam debeo, V.rae Rev.mae Dominationi. Cui me meamque omnem benevolentiam commendo ex animo<sup>384</sup>.

(<sup>a</sup>-V.rae Rev.mae Dominationis ex corde amicus et frater

Andreas Epus Cracoviensis subscripsit<sup>a</sup>)

<sup>a-a</sup>) *Autographum.*

## N. 76.

**Aloisius Lippomano**  
**Sigismundo Augusto, regi Poloniae**

Lovicii, 10 II 1556.

*Refert de synodo a "protestantibus" in Secemin celebrata et rogat, ut contra eiusmodi conventicula efficaciter agat, sententiam S. Gregorii Nazianzeni de simili re prolatam afferens.*

**Cop. coeva** (ex cancellaria Lippomani): BV, Barb.Lat. 6507 f. 11r-12r. in f. 12v alia manu: "Ricevuta con lettere dell 2 di marzo 1556. Da Roviz [sic] dal Vescovo di Verona" (cfr. N.84).

Ser.me atque invictissime Rex.

Conventiculum illud Sezemiense, cui ut obviam iretur, tam anxio soliticoque animo egi cum Sacra Maiestate V.ra, cum Vilnae essem, summo cum huius florentissimi Regni dedecore tandem prodiit<sup>385</sup>. Et, o rem perditam, quod non detestabile scelus aggressi sunt nequissimi homines! Imaginem Domini nostri in cruce, vexillo salutis nostrae, pendentis in terram funiculis demisere eamque raptantes et omni crudelitate lacerantes extra ecclesiam

<sup>383</sup> Hic errat litterarum auctor, nam Paulus III († 1549) eiusmodi privilegium ei concedere non potuit, qui non nisi a. 1551 epus Cracoviensis factus erat. Agitur procul dubio de brevi Iulii III die 12 I 1552 dato, quo papa concessit ei "Indultum ad triennium conferendi beneficia in dioecesi Cracoviensi in mensibus pontificiis vacantia" (min. AV, Arm. 41, ms. 63 f. 81r-83r).

<sup>384</sup> Litterae dato carent. Ergo conici potest eas Lippomano redditas fuisse Varsaviae eo tempore, quo nuntius et Zebrzydowski ibi congressi sunt, id est sub finem mensis Ianuarii a. 1556 (cfr. Wojtyska PP, p. 75). Nuntius eas Romam misit una cum suis ad card. Carolum Carafa 10 II 1556 datis (cfr. N. 77).

<sup>385</sup> Agitur de synodo "evangelicorum", in Secemin (pagus 60 km a Czestochovia distans versus orientem) a 21 ad 29 I 1556 celebrata (v. Sipayłło, p. 46-52).

proiecere. Sic in truculento scelere bacchantes, ut Maiestati certo V.rae, si impune id fecerint, non parvam ea res apud omnes sit ignominiam allatura. Haec, quae certa et explorata sunt, iam enim omnium sermone percrebuerunt, defero ego cum Rev.mo D.no Archiepiscopo Gnesnensi<sup>386</sup> ad Maiestatem V.ram, orans obsecransque, ut pro paterna illa pietate, quae ad eam haereditario iure cum imperii amplitudine delata est, acrem se tantorum scelerum vindicem paret, gladium vibret et se verum Regem, id est verae Religionis amatorem ostendet. Quod si rem longius protrahat, seque ad ea, quae praesenti tempore parari non possunt, remedia convertat, de eius certe Regno actum erit. Nam quid, obsecro, mali non formidandum, si effrenatus improborum hominum furor diuturniore alatur impunitate? Ad illa animum convertat Maiestas V.ra, quae sint in hoc Regno de christiana Religione sanctiones, quantum Deo atque eius Ecclesiae ipsa debeat pro eo, quod sibi divinitus obvenit imperio, quidve [11v] demum sit elaborandum, ut eam, quam de sua ipsius pietate Sacrosancta illa Sedes Apostolica concepit, opinionem tueri possit. Rev.mum vero Archiepiscopum et me ipsum amet, nosque in eorum numero ponat, qui eius dignitati et existimationi amantissime consulant.

Memnisse eorum etiam debet Maiestas V.ra, quae magnus ille Theologus Gregorius Nazianzenus de hac ipsa re ad Nectarium scribit, Episcopum Constantinopolitanum, his verbis: Si igitur qui taliter sapiunt, congregationis potestatem adipiscuntur, consideret prudentia tua egregia, ne si inter nos pullulare incipient ea, quae illi sentiunt, potestatem quoque accipiant congregandi, quod nil aliud esset, quam eos veriores nostro censi dogmate. Si enim illi, tanquam pie agentes, docere ut sentiunt ac audacter quae per ipsos invertuntur praedicare poterunt dogmata, manifestum est, quod Ecclesiae debilitabitur sermo, tanquam veritas apud ipsos existat: duos enim de eadem re sermones contrarios natura non admittit. Quomodo igitur magnanimitas tua et intellectus sublimis, nequaquam ad tanti mali emendationem assueta loquendi utitur audacia? Proinde, cum id antea factum haud sit, nunc saltem tua in virtute inimitabilis excitetur perfectio, doceatque Imperatorem piissimum, quod reliqua diligentia, quum Ecclesiae impendit, nullius sit utilitatis, nisi tale malum in sanae fidei purgationem propter illorum cohibeatur temeritatem<sup>387</sup>. Haec ille de Haereticorum conventiculis liberisque praedicationibus. Quae cum in Regno Maiestatis V.rae habeantur, [12r] non possumus non valde commoveri eamque orare, ut huic gravi et mortifero morbo salutare tandem remedium adhibeat. Det vero Deus Optimus Maximus, ut sua omnia et coepta et consulta optime cadant. Bene valeat Maiestas V.ra vivatque diu incolumis et felicissima. Ex arce Lovicii, quarto Idus Februarii [MD]LVI.

<sup>386</sup> Nicolaus Dzierzowski.

<sup>387</sup> Cfr. epistolam Gregorii ad Nectarium circa a. 388 datam de cohibenda libertate conventiculorum, quae sub imperatore Theodosio ab Apollinaristis peragebantur. Versio Latina huius loci, apud Mighe (PG 37 col. 334) publicata, a textu per Lippomanum hic adducto non parum differt.

## N. 77.

**Aloisius Lippomano**  
**card. Carolo Carafa**

Lovicii, 10 II 1556.

*Refert, quam humaniter Lovicii ab archiepiscopo (Nicolao Dzierzowski) exceptus sit, et narrat de colloquio suo cum regina Hungariae Isabella, quae rogabat, ut eam summo pontifici commendaret. Mittit litteras epi Cracoviensis (Andreae Zebrzydowski), quibus licentiam beneficia in dioecesi sua mensibus pontificiis vacantia conferendi sibi impetrari petit, et exemplum litterarum suarum ad vicecancellarium (Ioannem Przerembski) scriptarum. Nuntiat regem secretarium suum (Ioannem Wysocki) Romam missurum, se tamen eius missionis causam ignorare. Refert de sacrilegiis in Secemin, ut fertur, perpetratis.*

**Or.:** BV, Barb.Lat. 5715 f. 22r-23r. In f. 23v inscriptio, sigillum et - alia manu - summarium.

- **Summarium:** BV, Barb.Lat. 5805 f. 75r (in cancellaria pontificia confectum).

**Cop.:** Simancas, AG, Estado, leg. 2008 (Berzosa 6) f. 174v-175r (sine postscripto).

Ill.mo et Rev.mo Signore etc.

Essendo giunto a questo Rev.mo Signor Arcivescovo<sup>388</sup>, il quale mi ha raccolto con buonissima ciera, mi è parso debito, havendo occasione di messo, basciar la degnissima mano di V.ra Signoria Ill.ma et dirle quanto mi è occorso dopo le ultime mie, che furono di XXX del passato da Varsovia<sup>389</sup>.

Dissi per altre mie qualmente la Regina di Ungaria mi havea detto volerli un'altra volta parlare<sup>390</sup>. Il parlar è stato ch'ella pregava io la raccomandassi a i beatissimi piedi di Sua Santità, la quale si degnasse haverla per sua buona figliuola, et che se qualcheduno dicesse male di Sua Altezza appresso Sua Beatitudine, non lo volesse credere, ma che ella era sforzata procurar il ben suo et di suo figliuolo, poiché essendo stata ingannata nell'accordo fatto co'l Ser.mo Re di Romani, non poteva havere né la Transilvania né la ricompensa promessa; et se bene le erano stati dati alcuni castelli, nondimeno non giungevano a gran lunga alla essecutione dell'accordo, il quale era stato fatto<sup>391</sup>. Onde pregava Sua Santità, la quale era Pater orphanorum et Iudex viduarum, le avesse compassione et la tenisse [sic] per raccoman-

<sup>388</sup> Nicolaus Dzierzowski.

<sup>389</sup> Cfr. supra, N. 74.

<sup>390</sup> Epistulam, in qua colloquium Lippomani cum regina Isabella describitur, v. sub N. 68.

<sup>391</sup> De pactione ab Isabella cum Ferdinando facta cfr. supra, N. 52.

data. Ella al presente se ne vuole andare a Leopoli, luogo vicino alla Transilvania, et ivi aspettar quella fortuna che Iddio le manderà. Certo è [22v] una compassione a veder lei et suo figliuolo, qual mostra di esser d'una buona aspettatione, fuori di casa sua et con tanta spesa alle spalle.

Il Vescovo di Cracovia mi ha scritto una lettera, nella quale mi prega gli ottenga da Sua Beatitudine gratia di poter conferire i benefici vacanti nella sua diocesi, etiandio ne i mesi di Sua Santità, come appar per la sua lettera, la qual le mando<sup>392</sup>. Sua Beatitudine farà quel che più le piacerà.

Ho scritto poi una lettera al Vicecancelliere del Re del tenore ch'ella vedrà per l'allegata<sup>393</sup>, acciò conoschi ch'io non manco ne i negozi [sic] della Religione in tutto quel ch'io so et posso. Sua Santità, a quel che intendo, havrà havuto un Secretario di questo Ser.mo Re, ma non ho anchor saputa la causa della sua destinatione<sup>394</sup>. Sarà buono Sua Beatitudine vadi riservata sin che le capitino in mano tutte le lettere che dopo ch'io son giunto in questo Regno ho scritto a V.ra Signoria Ill.ma, le quali, oltra questa, arrivano al numero di otto. Il Signor Dio la conservi sana et felice, et doni a Sua Santità lunga vita et ogni contento. Di Loviz, alli X di Febraro del [MD]LVI.

Di V.ra Signoria *etc.*

deditissimo servitore

(<sup>a</sup>-A[louyse] Lipomano indegno Vescovo di Verona

[23r] Ho inteso che questi ribaldi che hanno fatto questo Conciliabulo in Seczmin [sic], han tirato fuori della Chiesa con una corda un Crocefisso grande che vi era, et fatte mille altre poltronerie. Dimane questo Rev.mo Arcivescovo et io vogliamo scriver una lettera commune al Re, acciò vi faccia sopra alcuna buona dimostrazione<sup>395</sup>, altrimenti non so più che dire<sup>a</sup>).

<sup>a-a</sup>) *Autographum.*

<sup>392</sup> Litteras Andreae Zebrzydowski vide supra, N. 75.

<sup>393</sup> Epistulam ad Ioannem Przerembski v. infra, N. 78.

<sup>394</sup> Agitur de Ioanne Wysocki (1523-1560), secretario regio ab anno 1550, abate Landensi (ab a. 1551), qui Romam profecturus erat prorogandae dispensationis causa, qua commenda abbatiae Landensis ei concedebatur (cfr. supra, N. 73 et A. 15), tum tamen non est profectus, vide Wojtyska PP, p. 366.

<sup>395</sup> Cfr. litteras N. 76, quas tamen nuntius solus hac in parte ad regem scripsit, mentione archiepiscopi tantum facta. Ibidem de sacrilegiis, a participibus synodi in Secemin celebratae, ut ferebatur, patris.



## N. 78.

**Aloisius Lippomano****Ioanni Przerembski, regni Poloniae vicecancellario**

Lovicii, 10 II 1556.

*Nuntiat se Lovicii ab archiepiscopo (Dzierzgowski) benignissime exceptum esse ibique epum Varmiensem (Hosium) alloqui potuisse. Significat haereticorum conventicula in dies crebriora et impietatem Lucae a Górka tempore celebrationis missae ostensam reprehendit et postulat, ut personae se similiter gerentes rite puniantur. Notum facit se partem familiae suae reginae Bonae socios itineris dedisse, propterea quod rex eius in Italiam protectioni tandem assensus sit.*

**Cop.:** BV, Barb.Lat. 5715 f. 25r-26r (ex cancellaria Lippomani). In f. 26v adnotatio de auctore et de persona, cui epistula mittitur, et alia manu: "Ricevuta con lettere di X di Febraro da Loviz" (cfr. N. 77) et subtus adhuc alia manu "Pier".

## Copia d'una lettera

inviata alla Corte al Vicecancelliero del Regno di Polonia

Rev.mo et Ill.mo Signor mio osservandissimo. Parendomi esser stato molto tempo senza fruire li dolci colloquii di V.ra Signoria Rev.ma, non ho potuto contenermi di scriverle la presente et salutarla officiosamente, ricordandole ch'io le sono quel vero servitore, il quale me le donai dal principio ch'io la cominciai a conoscere.

Questo Ill.mo Signore<sup>396</sup> mi vede tanto amorevolmente et fa tante carezze ch'io mi confondo. Certo è gentilissimo Prelato et di buona et tanta mente. Abbiamo havuto con noi in questi giorni il Rev.mo Vescovo Varmiense<sup>397</sup>, persona letteratissima et di vita incolpatissima, nel quale molto bene si può verificar quel detto: Hic est, qui sicut loquitur operatur, et sicut operatur loquitur. Molte volte è stata fatta tra noi dolce et honorata mentione della degnissima persona di V.ra Signoria Rev.ma.

Due cose ho da avvertire V.ra Signoria Rev.ma. La prima che le conventicule delli heretici, le quali ella non poteva credere, sono state fatte in Pin-

---

<sup>396</sup> Aepus Nicolaus Dzierzgowski.

<sup>397</sup> Stanislaus Hosius. Vide ipsius propriam huius cum nuntio congressus descriptionem in litteris 21 II 1556 ad Martinum Cromerum datis (A. 16).

zof<sup>398</sup> et Sezemin<sup>399</sup>, come mi è stato affermato da persone degne di fede, le quali ancho [sic] mi hanno detto che in questo Regno per tutto quest'anno passato ne sono state fatte alla somma di cinque<sup>400</sup>. Queste sono pure aperte innovationi. Queste sono pur prohibite per li statuti del Regno, et poteriano et deveriano esser corrette et non passate [25v] oculis conniventibus. Il che è un dar manifesto ardire agli adversarii della fede catholica.

L'altra è ch'io son informato che quando la Ser.ma Duchessa passò di qua<sup>401</sup>, celebrandosi la mattina la messa, il vostro Palatin di Corca<sup>402</sup>, mentre si levava il corpo di Nostro Signore, si puose a sedere con la beretta in capo in presentia di tutti, et solicitava non so chi altri che non guardassero nel Santo Sacramento. Veda mo' V.ra Signoria Rev.ma se questa è stata degna compagnia di dar a una sorella di un Ser.mo Re di Polonia, et che va a marito ad un Duca catholico. Io faccio una gran coscienza alla Maestà Sua et poi a V.ra Signoria Rev.ma che favoreggino cotali persone, et massimamente che gli sia data per moglie la figliuola di quella Duchessa Christianissima, senza che egli prima sia conosciuto esser buon Christiano et viver catholicamente<sup>403</sup>.

Andando la Ser.ma Regina in Italia, le ho dati dui miei nepoti per compagnia, li miei muli co'l lettuario, mastro di stalla et alcuni altri della mia famiglia, con ordine che subito, giunti in Italia, tutti se ne ritornino a me<sup>404</sup>. Hollo fatto voluntieri [sic], poiché ho veduto Sua Maestà haverli data buona licenza che se ne vadi in Italia, che altrimenti non l'havrei fatto. Mi raccomando di cuore a V.ra Signoria Rev.ma. La qual prego si [26r] degni far la presente mia lettera commune con Sua Ser.ma Maestà. Alla quale il Signor Dio si degni concedere ogni felicità spirituale et corporale. Di Loviz, alli X di Febraro del M.D.LVI.

<sup>398</sup> Synodus Pinczoviensis (in oppido scilicet medio itinere inter Cracoviam et Kielce sito) celebrata fuit 21 IX 1555 confirmandae unionis causa cum Fratribus Bohemis in Koźminek initae (cfr. Sipayłto I, p. 4).

<sup>399</sup> De synodo in Secemin celebrata v. supra, N. 76 et 77.

<sup>400</sup> In Krzcięcice 18 III, Gohuchów 25-27 III, Koźminek 24 VIII-2 IX et Pińców 21 IX. Prout quintum huiusmodi conventiculum Lippomanus computat procul dubio conventum in Słomniki 25 XI 1554 celebratum (cfr. Sipayłto I, p. 1-17) vel supra nominatam synodum Seceminensem, Ianuario a. 1556 celebratam.

<sup>401</sup> Agitur hic procul dubio de transitu per Lovicium reginulae Sophiae, novae sponsae ducis Brunsvicensis, ad maritum suum iter facientis, cui soli, non vero Beatae, ducissae Ostrogiensi (quas hic Lippomanus confundere videtur), Lucas a Górka tunc obviam ire potuit (cfr. infra, annotationem 403).

<sup>402</sup> Lucas a Górka (ca 1533-1573), palatinus Brestensis ab a. 1555 (ab a. 1565 Posnaniensis), ab a. 1553 manifestus fautor et dux Lutheranorum Maioris Poloniae.

<sup>403</sup> Elisabeth (Halszka) ab Ostróg (1539-1582), filia Eliae ducis ab Ostróg et Beatae de Kościelec (1515-1576). Post ingentem clamorem, raptu eius a Demetrio Sanguszko perpetrato concitatum, et actione iudiciali ad tribunal regium a. 1553 a matre instituta, Sigismundus Augustus mense Aprili a. 1555, contra voluntatem ducissae Beatae, tum in aula reginae Bonae commorantis, astrinxit eam, ut Lucae a Górka nuberet. Quae tamen maritum secuta non est, sed una cum matre fugit ad bona sua in Voliniam (cfr. Roman Żelewski, *Górkowa Elzbieta*, PSB VIII, p. 423-426).

<sup>404</sup> Cfr. supra N. 74.

## N. 79.

**Paulus IV, pontifex maximus**  
**Aloisio Lippomano**

Romae, 19 II 1556.

*Nuntiat auditorem eius, Iacobum Livrieri, de misero statu Ecclesiae in Polonia sibi rettulisse. Arbitrio eius relinquit, utrum in Italiam redire, an in Polonia manere malit, et mittit brevia eum ex Polonia revocantia, si forte inde discedere constituerit.*

**Reg.:** AV, Arm. 44, ms. 4 f. 192v-193r. Breve hoc expeditum fuit 27 II 1556 (cfr. supra, annotationem 223).

**Cop.:** Simancas, AG, Estado, leg. 2008 (Berzosa 6) f. 177v-178r.

Ven.li Fratri Aloisio Epo Veronensi,  
 apud char.mum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum,  
 Poloniae Regem, nostro et Sedis Apostolicae nuntio  
 PAULUS PAPA IIII

Ven.lis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. Diligenter loquutus est nobiscum dilectus filius Iacobus Livrierius, Fraternitatis tuae Auditor, sed quo nostri animi dolore plane iam providere potuisti, cum ea, quae nobis attulit, ei mandasti<sup>405</sup>. Quia tamen nec tua Fraternitas (ut pro certo habemus), neque nos quoque hucusque praetermisimus quod in nobis fuerit, ut malo huic tanto mederemur, consolari nos in Domino debemus eoque illius clementiae constantius confidere, quo magis his in rebus culpam possumus praestare.

De discessu istinc tuo<sup>406</sup>, cum eo temporis spatio, quo Auditor ipse ad nos venit, quae sint consequuta plane ignoremus, tibi vero praesenti nota esse debeant, tui erit consilii atque prudentiae pro ipso rerum [193r] progressu deliberare: diutiusne remansurus, an statim rediturus sis. Utrunque in arbitrio tuo relinquimus, dummodo nec mora inutilis ac diuturnior nobis et Sanctae huic Sedi contemptum et indignitatem pariat, nec maturior discessus eam Regi et Catholicis spem adimat, quam in nostra et Sedis eiusdem ope non mediocriter ponere professi sunt, sicuti ex eodem Auditore pluribus cognosces. Si autem omnino abeundum tibi visum fuerit, litteras propterea, et ad te item seorsum, et ad Regem nonnullosque alios scripsimus, cum exem-

<sup>405</sup> Cfr. supra N. 56.

<sup>406</sup> Cfr. supra, N. 50 et 57. Negotium hoc in consistorio tractabatur die 6 II 1556, in quo "Sanctissimus fecit verbum de revocandis legatis Poloniae" (Korzeniowski AR, p. 105).

plo his coniunctas, quibus tunc uti poteris, cum fuerit opportunum<sup>407</sup>. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX Februarii M.D.LVI, pontificatus nostri anno primo.

Franciscus Binus

N. 80.

**Paulus IV, pontifex maximus**  
**Aloisio Lippomano**

Romae, 19 II 1556.

*Munere in Polonia ei commisso iam expleto, eum inde revocat, cum in instituendis quibusdam negotiis ad reformationem Ecclesiae pertinentibus praesentia eius indigeat.*

**Reg.:** AV, Arm. 44, ms. 4 f. 193v-194r.

- **Ed.:** Theiner VMPL II, p. 591.

**Cop.:** Simancas, AG, Estado, leg. 2008 (Berzosa 6) f. 177r-v.

Ven.li Fratri Aloisio Epo Veronensi etc., ut supra  
PAULUS PAPA IIII<sup>408</sup>

Ven.lis Frater etc. Videmus ex Fraternalitatis tuae et aliorum litteris, quas posteaquam istuc pervenisti, deinceps accepimus, te apud char.mum in Christo filium nostrum Regem et alios operam et ea praestitisse officia, quae a nobis praestari potuerunt, ac si quid forte non ita fieri potuit, certo speramus id Serenitatem eius pro sua religione ac pietate, una cum reliquis suis vere Christifidelibus, perfecturam esse. Quapropter, cum in praesenti ad nonnulla honoris Dei causa tractanda eos convocemus undique, qui operam nobis vel consilium possint afferre, tuaque idcirco praesentia indig[e]amus, quantocius poteris, Ser.mo imprimis Rege ipso et caeteris, qui Fraternalitati tuae videbuntur, [194r] salutatis, bona cum eius venia te, quod tuae valetudinis commodo fiat, ad nos huc in Urbem conferes. Quod nobis non minus erit gra-

<sup>407</sup> Brevia haec, ad Lippomanum (cfr. infra, N. 80), ad regem Sigismundum Augustum et ad aepum Nicolaum Dzierzowski, omnia 19 II 1556 data, servantur in reg. AV, Arm. 44, ms. 4 f. 193v-195r et ab Augustino Theiner edita sunt (VMPL II, p. 590-591). In omnibus tractatur de revocando nuntio. Quibus tamen Lippomanus usus non est, neque quibus destinata erant ea porrexit, cum in Polonia manere decreverit (cfr. infra N. 87).

<sup>408</sup> Breve sub condicione datum, quo tamen Lippomanus usus non est, cfr. notam antecedentem.

tum quam necessarium. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIC Februarii M.D.LVI, pontificatus nostri anno primo.

Franciscus Binus

N. 81.

**Aloisius Lippomano**  
**Nicolao Radziwiłł, palatino Vilenſi**

Lovicii, 21 II 1556.

*Capta ex eo occasione, quod Adamus Konarski se eius nomine per litteras salutavit, benevolentiam suam ei declarat et in memoriam revocat accusationes in eum motas, quas a rege Ferdinando Augustae audiverat, quasi ipse a fide catholica defecisset et haeticorum fautor esset, quas tamen Vilnae confirmatas non invenit. Enumerat obiectamenta, a quibusdam senatoribus Varsaviae iterum contra eum prolata, et obsecrat eum, ut respiscat, et adducit sententias Athanasii Alexandrini et Hieronymi veritatem fidei, quam Ecclesia Catholica docet, attestantes.*

**Cop.** (ex cancellaria nuntii): BV, Barb.Lat. 6507 f. 14r-16r. In f. 13v manu ipsius Lippomani: "Comiti Palatino Vilenſi" et in angulo dextro superiore alia manu: "Ricevuta con lettere delli 2 di Marzo 1556 da Loviz dal Vescovo di Verona" et subtus item alia manu: "Pier".

**Ed.** (ex originali): Vergerius DE, f. [A IVr]-[B IVv].

- **Ed. in versione Polona:** Rej DL, s.f.

- - **Reed.:** Chrzanowski DL, p. 73-75.

Ill.me Princeps et Domine mi colendissime.

Rev.dus D.nus Adamus Conarschi, Regius Secretarius, suis literis die XV praesentis mensis Vilnae datis, me Amplissimae Dominationis tuae nomine salutavit, certissimoque ab ea me valde amari testimonio confirmavit<sup>409</sup>. Qua de re etsi multis antea nominibus Ill.mae Dominationi tuae haud parum debebam, nunc cum illud etiam ad suorum erga me cumulum meritorum accesserit, ut absentem non oblita ultro me per communem amicum nimium amanter salvare iusserit, non possum ei me non summopere devinctum fateri.

<sup>409</sup> Litterae non sunt conservatae. Eodem die Konarski scribebat Vilna ad Latinum Latini, secretarium cardinalis viceprotectoris Puteo, certiozem eum reddens de auxilio nuntio exhibito, quod Lippomano "gratissimum" fuisse affirmat (autogr. BV, Vat.Lat. 6201 f. 59r).

Hac tua fretus benevolentia, Princeps Ill.me, has ad te scribendas duxi, ut aliqua Amplitudini tuae suggeram, quae illi fortasse ignota sunt. Neque enim me christiani viri aut grati hominis officio fungi arbitrarer, si haec illi patefacienda minime curarem, quae ut in optimam partem accipiat rogo, sunt enim ab amante candidoque animo profecta. Ego quidem, Clarissime Domine, cum adhuc Augustae Vindelicorum apud Ser.mum Romanorum Regem<sup>410</sup> in Comitiiis agerem, quaedam audieram de Excellentia tua, quae mihi non placuerant: Eam videlicet a Catholica fide penitus defecisse et cum novis Haereticis manum iunxisse. Certum vero huius rei signum mihi afferebant, quod cum illa ab instituto suo (sic enim dicebant) discedere non vellet, Serenissimus Romanorum Rex illi aperte prohibuerat, ne sextis feriis et Sabbatorum diebus carnes comederet, quoniam hoc esset contra Sanctae matris Ecclesiae constitutum<sup>411</sup>. Haec, inquam, ibi tum audieram. Sed postquam ad Ser.mum Regem nostrum veni, et Ill.mam Dominationem tuam alloquutus, tanta morum probitate ac tam sanctis desideriis ornatam vidi, fateor ingenue, omnis illa, quam mente conceperam, de ea sinistra opinio cito evanuit, virumque optimum et fidelem Christianum exinde semper arbitratus sum Ill.mum Palatinum Vlnensem.

Sed postquam Varsoviam sum ultimo loco reversus, ea ipsa quae Augustae audieram, et illis longe deteriora, non a vulgaribus [14v] vilique plebecula, sed a magnis Senatoribus testibusque gravissimis, in quos exceptio nulla cadere possit, de tua Amplitudine audire mihi contigit, et tanto quidem animi moerore, quantus unquam mihi contingere potuisset. Quid vero erat, quod haec audiens non maxime dolerem, cum te summopere non solum ex animo diligam, sed amem potius, venerer et observem. Dixerunt enim Comitem Palatinum Vlnensem antesignanum esse haereticorum in hoc Regno; ad ipsum tanquam ad asyllum confugere pestilentes hos omnes innovatores; ipsum domi et passim, quocumque in loco vigeat sua ditio atque potestas, altare sacrilegum contra altare pietatis et cathedram pestilentiae contra veritatis cathedram erexisse; ipsum communionem sub utraque specie non solum fovere, sed primo in aulam suam introduxisse; secum alere qui blasphemias novas has disseminent; Concionatores falsos admittere, qui Dei Ecclesiam subvertunt; libellos haereticos non solum legere, sed et aliis legendos offerre et imprimendos curare; Sacratissimam Eucharistiam idololatriam nuncupare; eiusque rei dederunt non exigua indicia, quod cum Dominatio tua Amplissima est cum Regia Maiestate in Ecclesia, nunquam vultum attollit in Sacratissimae Hostiae et Calicis elevatione, sed aut cogitabundus faciem demittit, aut literas fingit aliande [?] missas legere; non tenere Romanae Ecclesiae

---

<sup>410</sup>Ferdinandus.

<sup>411</sup> Qui casus tempore Quadragesimae a. 1553 Graecii in Styria evenisse fertur, ubi Radziwiłł de matromonio Sigismundi Augusti cum filia Ferdinandi, Catharina, ineundo tractabat. Jasnowski tamen hoc factum omnino ignorat. Ipse etiam Radziwiłł, Lippomano respondens, eventum hoc inter fabulas ponere videtur, quae tunc spargebantur et ad aulam Ferdinandi pervenerunt (vide N. 112).

super omnes alias primatum, neque Papam habere pro Christi Vicario. Dixerunt etiam illam credere vana esse pro defunctis suffragia; non esse aliud Purgatorium quam Sanguinem Christi; Presbyteros debere esse coniugatos; Sacra in materna lingua evulganda. Aliaque tot et tanta detulerunt, quot et quanta Lutherus ipse cum universa sua toto errante coelo Germania invenire non potuerunt.

Id etiam addiderunt, Excellentiam tuam secreto fovere hos omnes nebulones, et quicquid favore fidei per Regiam Maiestatem decernitur, arte et industria sua evanescere secretisque nuntiis agere, ut hi, ad quos [15r] ea res spectat, contrarium exequantur. Missis etiam nunc Gebennam seu Basileam nobilem quendam de domo sua, qui Calvinum, Laschi et Lismalinum<sup>412</sup>, haereticos advocet et quotquot poterit invenire Pseudomagistros prurientes auribus adducat, qui contra catholicam doctrinam disputent, quo Apostolicam Sedem, quam Antichristi Regnum (ut illi dicunt) Dominatio tua Clarissima appellare solita est, funditus evertere conentur<sup>413</sup>. Demum quicquid haereseos, impietatis et perfidiae in Poloniae Regno invenitur hoc infelicissimo tempore, totum id Ill.mo Palatino Vilnensi acceptum referunt.

Haec, inquam, cum audivi, Amplissime Domine, valde (ut par erat) commotus sum, doluique ex animo me haec Vilnae non ita intellexisse. Dedissem enim operam, pro tua in me benevolentia et observantia in te mea, ut his de rebus tecum privatim agerem. Credidissem vero, pro Dei benignitate et misericordia et pro ea, quae maxima est, vi veritatis, me a tua Excellentia non fuisse prius recessurum, quam in partes Ecclesiae, si ab illa deviasset, facile concessisset; idque Sacrae Scripturae autoritatibus, Sanctorum Conciliorum decretis, veterum Sanctorum Patrum unanimi consensu et totius Ecclesiae Catholicae observatione contendissem. Quod quia factum non est, equidem eo cruciatu maiore torqueor, quod haec ipsa, quae audio de tam magno viro meique amantissimo, dignitatis suae splendorem macula ea, quam nemo unquam eluere possit, aspergunt. Si haec vera sunt, Ill.me Domine, quae de Amplitudine tua circumferuntur, mala sunt, atque etiam valde mala, quibus nisi finem cito<sup>a)</sup> imposueris, vehementer horreo corporis et animae ac totius clarissimae tuae domus interitum, nam Deus (credas mihi) non diu haec impunita dimittet, non tantum dico in futuro saeculo, ubi certa erit damnatio, verum etiam [15v] in praesenti. Et eiusmodi rei plura adducere tibi possem exempla quam capillos (ut aiunt) geram in capite. Sin vera non sunt, prout amor singularis, quo Amplitudinem tuam prosequor, me credere compellit,

<sup>412</sup> Ioannes Calvinus (1509-1564), unus ex maximis doctrinae eius propagatoribus Ioannes Łaski (1499-1560), Basileae tum commorans, et Franciscus Lismanino (ca 1500-1566), antea Ordinis Fratrum Minorum Conventualium sodalis et reginae Bonae confessarius, ab a. 1553 manifestus fautor Calvini, qui Tiguri tum degebat.

<sup>413</sup> Nescimus si re vera aliquis de domo Nicolai Radziwiłł de eis in Poloniam introducendis tunc Genavae vel Basileae egerit (cfr. Jasnowski, p. 199-201). Ipse Palatinus in responso nuntio dato se ibi aliquem misisse negat (cfr. infra, N. 112). Certum est tamen eos a "protestantibus" in Poloniam vocatos fuisse, cfr. Kowalska, p. 34 (Łaski) et Hein, p. 44-47 (Lismanino).

saltem efficiat oro, et modis omnibus curet, ne de illa tam horrenda et portentosa efferantur. Id autem procul dubio consequetur, si tantum studii deinceps in destruendis peregrinis doctrinis adhibuerit, quantum in evertendis rectis dogmatibus hucusque adhibuisse praedicant. Nam cum Ill.ma Dominatio tua Sacris Literis (quod sciam) operam non dederit, non debet in negociis fidei magistri officium suscipere, et multo minus pati se tanquam levem paleam omni doctrinae vento circumferri. Nam si cum talibus hominibus, cum quibus illa sentire dicitur, tantum Christus est, heu in quem angulum Regnum Illius arctatum est. Si cum illis est Ecclesia, falsa est vox Patris Filio promittentis: Dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae<sup>414</sup>; falsa est vox Prophetarum: Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum<sup>415</sup>; falsum est et illud: Omnes gentes quascumque fecisti venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum<sup>416</sup>; falsa certe ista omnia, si tam parva eius haereditas et possessio facta est, ut eam non nisi Germania paucaeque Regni Poloniae terrulae possideant. Si hoc verum est, iam Christus gratis mortuus est, qui tam paucissimos sua est morte lucratus. Si hoc verum est, Spiritus Sanctus abhinc amplius mille et quingentis annis non fuit in Ecclesia, quem tamen Salvator misit, ut esset nobiscum in aeternum et doceret nos omnem veritatem<sup>417</sup>. Sed haec non sunt praesentis loci.

Clauo, Princeps Amplissime, epistolam meam duorum gravissimorum Sanctorum dictis: Altero Athanasii Alexandrini Episcopi, Ecclesiae Catholicae columnae, contra Arrium ita dicentis: Haec fides est, quam Christus Apostolis tradidit et ab Apostolis ad nos usque pervenit; nec possumus eam in aliquo immutare, quam constat nos debere ab initio, ut data est, fideliter [16r] conservare<sup>418</sup>. Altero Divi Hieronymi contra Luciferianos dicentis: Breve tibi apertamque animi mei sententiam proferam: In illa esse Ecclesia permanendum, quae, ab Apostolis fundata, usque ad diem hunc durat; sicuti audieris eos, qui dicuntur Christi non a Domino Iesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses sive Campates<sup>419</sup>, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam; ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus<sup>b)</sup> praenunciavit<sup>420</sup>; nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis

<sup>414</sup> Cfr. Ps. 2, 8.

<sup>415</sup> Cfr. Ps. 71, 8.

<sup>416</sup> Cfr. Ps. 85, 9.

<sup>417</sup> Cfr. Ioan. 16, 13.

<sup>418</sup> Cfr. Epistolam encyclicam ad episcopos (Migne PG XXV, col. 226).

<sup>419</sup> Setaores Marcionis (ca 85 - ca 160) et Valentini (medio II saec.), qui gnosis cum Christianismo concordare studebant, necnon Donati († ca 355), epi Casarum Nigrarum in Numidia, schismatici, quem maxime populares (Circumcellones) sequebantur. Donatistae per convicium etiam Montenses et Campates vel Campenses appellabantur, eo quod in campis aut montibus habitabant, ut ipsa vox loquitur.

<sup>420</sup> Vide S. Pauli Apostoli dictum "Oportet et haereses esse" (1 Rom. 11, 19).



videntur sibi affirmare quod dicitur, cum et Diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, et Scripturae non in legendo consistant, sed in intelligendo<sup>421</sup>.

Haec sunt, Ill.me Domine, quae cum animum meum valde stimulent, silere non potui. Ea vero charitate scripta sunt, qua maior certe inveniri non possit. Novit Deus si Amplitudinem tuam in visceribus cordis mei geram, idque ob eius praestantes eximiasque virtutes. Nam quod olim de Saladino, Saracenorum Principe, dicebatur, nihil ei ad virtutem defuisse, nisi quod Christianus non esset<sup>422</sup>, id quoque de te, Vir Amplissime, merito nunc dicendum videtur: Nihil tibi ad virtutum cumulum deesse, si eam, quam persequeris, Catholicam fidem fueris amplexus, si ea tamen, quae de te feruntur, vera sunt, quae pro sincera mea in te charitate falsa esse non solum cupio, sed vehementer exopto. Bene valeat Ill.ma Amplitudo tua meque sui nominis studiosissimum atque amantissimum semper fore confidat. Ex arce Lovicii, die XXI Februarii [M.D.]LVI.

(c) Ill.mae Dominationis Tuae observandissimus

Aloisius Lipomanus Epus Veronensis indignus Nuntius Apostolicus<sup>c)</sup>

a) *Adscriptum supra.*

b) *Sequitur expunctum: indicat*

c-) *Deest in copia Lippomani, suppletum ex editione Vergerii.*

## N. 82.

**Aloisius Lippomano  
Stanislao Hosio, epo Varmiensi**

Lovicii, 25 II 1556.

*Ad 4 epistulas eius respondet, asserens se extra culpam esse, si Ecclesia in Polonia in tam misero statu nunc versetur. Mittit exempla litterarum ad palatinum Vilmensem (Radziwiłł) et regem (Sigismundum Augustum) datarum, ad quas responsa exspectat. De remediis ab eo propositis respondet in hoc negotio resolutionem summi pontificis prius exspectandam esse, addit tamen se de hac re cum nominato epo Vilmensi (Valeriano Protasewicz) et cum senatoribus colloctum esse. Suadet, ut in causa sacerdotum coniugatorum fortiter quidem, sed prudenter agat. De negotio Ioannis Hoppe et Elbingensium ad vicecancellarium*

<sup>421</sup> Cfr. *Dialogus contra Luciferianos*, Migne PL XXIII, col. 190-191.

<sup>422</sup> Saladinus (1137/8-1193), sultanus Syriae et Aegypti, a. 1187 expugnator Ierusalem ex manibus Cruciferorum, honorificentissimus et nobilis adversarius Christianorum existimabatur.

*(Przerembski) scribere pollicetur, de licentia autem eis concedenda sub utraque communicandi, si iurisdictionem episcopi salvam fore promitterent, usque ad responsum pontificium tempus sumere, vel saltem nihil in scriptis promittere suadet.*

**Or.:** Kraków, BCz, ms. 307, p. 189-192. Deest involucrum cum inscriptione et sigillo.

**- Ed.:** Hipler-Zakrzewski HE II, p. 669-670.

### Ill.me et Amplissime Praesul.

Laconico more ad quatuor Dominationis tuae Rev.mae literas<sup>423</sup> respondebo, nam puer, qui iam iam venit, sic acriter repenteque meas efflagitat, ut nihil incitatus fieri possit. Unde super novissimis his literis, quae totius rei summam continent, ne cogitare quidem potui, quod sub tanta acceleratione rescriberem. Attamen respondebo quicquid mihi indicatum fuerit a Domino, ait enim ipse per prophetam: *Aperi<sup>a</sup> os tuum et ego implebo illud*<sup>424</sup>.

Primum vero, quod ad Dominationis tuae Rev.mae diligentiam attinet, qua negligentiam praelatorum excitans, singulos monet, ut invigilent, meque in primis, qui quatuor menses iam hic sine aliquo fructu consistam, dolerem equidem, si aliqua in re officio meo defuissem, sed quia circa hoc nihil mihi conscius sum, et habeo in coelo testem, ulterius non insisto. Habebo in die iudicii cui rationem reddam, si non explevero munus meum. At inquis, qui fructus hinc prodiit? Et ego respondeo: Quae culpa mea est, si fructus non colligitur? Et Iacobus Apostolus praedicavit in Hispania, et nihil vel parum quidem profecit.

Mitto his alligatum exemplar literarum, quas hisce praeteritis diebus ad D.num Comitem Palatinum Vilmensem scripsi<sup>425</sup>. Videbit tua Rev.ma Dominatio, si omnia ei rotundo (ut aiunt) ore dico, quae dicenda mihi visa fuerunt. Quid eae etiam sint profuturae ignoro, Deus scit. Attamen eas scripsi, et ferventissimo quidem desiderio. Attendam vero, quid ad eas ipse sit responsurus<sup>426</sup>. Praeterea scripsimus ad Ser.mam Regiam Maiestatem, Rev.mus Dominus Archiepiscopus et ego coniunctim, super istis conventiculis, quae palam fiunt in hoc regno, et maxime de Sezemeniensi illo<sup>427</sup>. Etiam super hac re expectabimus [190] responsionem eius<sup>428</sup>. Mallet executionem, nam responsio erit, sat scio, pro voto; at de executione dubito, in qua tota vis consistit.

<sup>423</sup> Nulla harum epistularum est reperta.

<sup>424</sup> Ps. 80, 11 (Vulg.: "Dilata os tuum, et implebo illud").

<sup>425</sup> Vide supra, N. 81.

<sup>426</sup> Vide responsum infra, N. 112.

<sup>427</sup> Vide epistolam communem Lippomani et aepi Dzierzgowski supra, N. 76.

<sup>428</sup> Vide infra, N. 85.

Harum etiam exemplar literarum Ill.mae Dominationi tuae transmittimus, ne credat nos manere hic tota die ociosos<sup>429</sup>.

Quantum ad remedia, quae suggerit Amplitudo tua, quae tria esse perpexit: de mittendis nuntiis ad consiliarios, solicitandis episcopis, praesertim Vilnae designato<sup>430</sup>, et indicendis supplicationibus generalibus, ea libenti animo suscipimus, sed expectet, oro, patienter, donec a Ss.mo D.no Papa habeatur huius negotii resolutio. Omnia enim cum sint reiecta in Sanctitatem suam iam multis diebus<sup>431</sup>, tardare non potest diutius responsio eius. Fortasse Sanctitas sua aliam ineundam rationem censebit, a qua longe nos aberrare possemus. Nam quod pertinet ad episcopos, praesertim ad Vilnensem, abunde etiam ex Varsovia satisfactum est per literas nostras, Papae etiam, et per nuntios particulares. Cum senatoribus etiam principalioribus dudum iam sum congressus, et quos alloqui non potui, ad eos literas misi. Quod si quae gesta sunt non sufficiant, de integro mittentur nuncii et omnia alia fient, quae Dominationi tuae Ill.mae placent, dummodo habeamus Ss.mi Domini nostri Papae intensionem, quae summo desiderio non in dies, sed in horas expectatur. Sed iudicio meo hoc est malagma pedibus et genibus apponere, cum doleat nobis caput, et ibi pharmaca oporteat applicare. Ad ea nanque omnia, quae a nobis proponuntur, unicum dabitur ab omnibus responsum: Non circa nos, sed circa hunc vel alios laboretis.

Hucusque de generalibus actum sit. Nunc particulatim respondebo Illustrissimae Dominationi tuae, quam video in maximis constitutam difficultatibus, et merito quidem, cum non<sup>b</sup> adsint [191] sibi catholici concionatores et sacerdotes, quos, amotis Lutheranis, possit eorum loco substituere. Ego quoque hac in re sum omnis consilii expers, et si mea privatim res ageretur, ad Dominationis tuae Rev.mae consilium<sup>b</sup> me referrem. Tantum abest, ut illud ex me ipso, quod profuturum esset, excogitare posse confiderem. Optarem potius, ut quod a me petit Dominatio tua Rev.ma, a Domino Nostro Iesu Christo peteret, qui est bonorum consiliorum seminator; et hoc assiduis precibus, sanctis sacrificiis et in spiritu contriti et humiliati cordis<sup>432</sup>; ipse vero non permetteret eam fluctuare in incerto, sed daret sanum consilium, quod sequuta, errare non posset.

Ego tamen, ne deesse videar aliquo modo Amplitudini tuae, cum tanta charitate petenti, dicam in hoc negotio, quod humanus spiritus ad praesens suggerit: Placet mihi Dominationis tuae Rev.mae sententia, neminem ad ministerium et ad praedicationem admitti, nisi sit sacerdos legitime ordinatus et a catholico Episcopo, nam melius est non ministrari Ecclesiae sacramenta, quam per huiusmodi nequam homines prophanari. Interim forsann mittet

---

<sup>429</sup> Alludit ad parabolam Christi de operariis a domino in vineam sub vesperum conductis, cfr. Matth.20,6.

<sup>430</sup> Valerianus Protasewicz.

<sup>431</sup> Cfr. supra, N. 56.

<sup>432</sup> Verba ex canone missae Romano sumpta ("in spiritu humilitatis et in animo contrito").

Deus operarios aliquos in messem suam<sup>433</sup>. Qui autem uxores solum duxerunt, vel sub utraque communicaverunt, et nihil aliud egerunt, si ex corde redierint et mulierculas vere abiecerint et ecclesiasticam communionem, hoc est laicam praebere de caetero voluerint, iniuncta eis aliquali poenitentia, quia ab Ecclesiae decretis desciverunt, hos ego tolerarem ob sacerdotum raritatem. Sin redire noluerint et Dominatio tua Amplissima eos corrigere non potest, nec habet quos eorum loco substituat, repellerem omnino a me, admonitos tamen de sua damnatione et quod caeci sint et caecis ducatum praestent<sup>434</sup>. Nec vellem verbum aliquod proferre, quo inniti possent, [192] asseverantes me dedisse eis licentiam in altaris ministerio ministrandi. Quod si adhuc persisterent in ministerio simul et apostasia, et Rev.ma Dominatio tua non posset (ut ait) remedium offerre, totum negocium committerem Divinae Maiestati, quae in aviis et inviis viam invenire novit. Semper tamen haberem praeviam illam Domini sententiam, qua ait his, qui volebant evellere zizaniam ex tritico: Non, ne forte eradicetis simul et triticum<sup>435</sup>. Volo dicere: Zelus est ita temperandus, hoc praesertim infelici tempore, ne postea tota civitas contra pios et bonos armetur et eiiciant ex ea, si qui catholici inveniantur. Haec sunt, quae ex tempore per me excogitata sunt, sed si quid melius Dominationi tuae Rev.mae visum fuerit, id sequatur.

De Oppio illo et caeteris Elbingensibus negociis<sup>436</sup> scribam D.no Vicecancellario et cum eo impensius agam, utque literas meas Ser.mo Regi ostendat iubebo<sup>437</sup>. Et si quid aliud pro Amplissima Dominatione tua valeo, imperet mihi. Semper enim operam meam promptam et paratam inveniet.

Quod ultimo loco requirit, quid de Elbingensibus, si promitterent de caetero salvam fore iurisdictionem Episcopi, dummodo non cogerentur communicare sub una [specie]<sup>438</sup>, nescio quid dicam. Consentire Dominatio tua Reverendissima non potest, ut sint schismatici, nec facienda mala, ut veniant bona. Suadeo tamen, quicquid est factura, id nullius publicae fieri scriptionis interventu, ne de hoc unquam tabellis obsignatis agi possit. Et forte melius esset sumere tempus ad deliberandum et interim Apostolicam Sedem consulere. Et profecto mea haec est ultimo loco sententia, a qua nullo ego modo discederem, tutior nanque est et ab omni errore longe remota.

<sup>433</sup> Cfr. Matth. 9, 38 et Luc. 10, 2.

<sup>434</sup> Matth. 15, 14.

<sup>435</sup> Matth. 13, 29.

<sup>436</sup> Agitur de controversiis in negotio religionis cum senatu Elbingensi exortis (v. supra, N. 49), qui sibi firmiter proposuit civitatem omnino Lutheranam reddere, auctore imprimis Ioanne Hoppe (ca 1510-1565), ab a. 1553 gymnasii Elbingensis rectore, antea professore Universitatis Regiomontanae (cfr. A. Szorc, *Stanisław Hozjusz a reformacja w Elblagu* [S. Hosius et reformatio Elbingae], "Studia Warmińskie", 7 (1970), p. 57-61).

<sup>437</sup> Litterae ad Ioannem Przerembski inveniri non potuerunt.

<sup>438</sup> De hac re scribebat postea (21 III 1556) ad Hosium magister civium Gedanensium Ioannes Brandt, suggerens, ut pacandorum animorum gratia communio sub utraque concederetur, "welchs, wy man sagett, der Bepstliche Legate nachgeben wirt, so E. H. G. myt consentyren" (Hipler-Zakrzewski HE II, p. 691). Cfr. etiam epistolam Hosii ad Martinum Cromerum, 4 III 1556 de eadem re datam (ibidem, p. 677).

Hic est meus laconismus, si modo id est laconice scribere, cuius culpam Dominatio tua Rev.ma reiiciat in praeproperam pueri sui festinationem. Et si meum id est erratum, veniam peto. Quam cum impetraro, eam deinde rogo, ut amoris mei nunquam obliviscatur. Bene valeat Rev.ma Amplitudo tua. VI Calendas Martias [M.D.]LVI, ex arce Lovicii.

Ill.mae Dominationis tuae observantissimus

(c-A[loisius] Lipomanus indignus Epus Veronensis, Nuncius Apostolicus<sup>c)</sup>

a) *Correctum ex:* Aperies

b) *Adscriptum supra.*

c) *Autographum.*

### N. 83.

**Card. Carolus Carafa  
Aloisio Lippomano**

Romae, 27 II 1556.

*Oblata occasione auditoris eius ad eum redeuntis, brevia transmittit et declarat se ad litteras eius non respondisse, cum nulla fuerit scribendi materia, provisionem vero eius retardatam fuisse propter confusionem in Camera Apostolica praesentem et datarium (Ioannem B. Osio) in carcerem coniectum.*

**Cop.:** Simancas, AG, Estado, leg. 2008 (Berzosa 6) f. 177r.

Lettera dell'Ill.mo Card. Carafa di 27 di Febraro 1556

Molto Rev.do Monsignor come fratello. Ritornando a V.ra Signoria il suo Agente<sup>439</sup> ben informato della mente di Nostro Signore et portandole gli brevi della sua rivocatione nella forma ch'ella potrà vedere per essi<sup>440</sup>, a me non occorre dirle altro se non ringratiarla della molta fatica et incommodo ch'ella ha preso et piglia per questa Santa Sede et religion Cattolica, rendendola certa che Nostro Signore conosce il servitio ch'ella ha fatto et fa. Et seben s'è trascorso un poco di tempo che non si gli è scritto, è stato più per non haver

<sup>439</sup> Auditor Iacobus Livrieri, v. supra, N. 56.

<sup>440</sup> Vide supra, N. 79-80.

che dirle, che per mancamento di memoria che s'habbia di lei. Et similmente s'è tardato a dar ordine alle sue provisioni solo per il disordine nel quale s'è trovata la Camera Apostolica<sup>441</sup>, accresciuto poi dalla prigione del Vescovo di Rieti, già Datario<sup>442</sup>, per la quale è rimasta ogni cosa in maggior confusione. Ma non ostante questo, V.ra Signoria sarà sodisfatta, come s'è detto più dis-tesamente al suo Agente. Alla quale mi offero *etc.* Di Roma, a 27 di Febraro 1556.

il Card. Carafa

**N. 84.**

**Aloisius Lippomano**  
**card. Carolo Carafa**

Lovicci, 2 III 1556.

*Se in Italiam revocari petit. Refert de motibus exercituum Tartarorum et Suecorum, indutiis inter Lithuaniam et Moscoviam initis non contentorum. Mittit exemplaria litterarum suarum ad regem (Sigismundum Augustum) et palatinum Vilmensem (Nicolaum Radziwiłł) scriptarum.*

**Cop.:** Simancas, AG, Estado, leg. 2008 (Berzosa 6) f. 175r-v.

**Summarium:** BV, Barb.Lat. 5805 f. 75r (in cancellaria pontificia confectum).

Lettera scritta all'Ill.mo Card. Carafa di 2 di Marzo 1556

Ill.mo et Rev.mo Signor *etc.* Io al presente non ho altro che scrivere a V.ra Signoria Ill.ma se non che, per gratia di Dio, son vivo et sano a servitio di Sua Santità et di V.ra Signoria Rev.ma, ma acciò io non muora da dovero et non la possa più servire, la torno a supplicar humilissimamente, si degni impetrar da Sua Beatitudine gratia ch'io me ne possa ritornar in Italia, affinché mi sia concesso morir appresso gli miei.

<sup>441</sup> Alludit ad reformationem aerarii Curiae Romanae, praesertim vero Datariae Apostolicae, a Paulo IV inchoatam, cfr. Pastor SP VI, p. 436.

<sup>442</sup> Ioannes Baptista Osio († 1562), unus ex intimis adiutoribus Pauli IV, 23 X 1555 nominatus epus Reatinus et datarius, id est aerarii privati summi pontificis administrator. Initio m. Decembris a. 1555 in vincula coniectus in Arce S. Angeli detinebatur propter suspicionem, quasi clandestina quaedam consilia concoqueret cum fautoribus imperatoris Caroli V. Ineunte m. Iunio 1559 liberatus (cfr. Pastor SP VI, p. 378 et 664).

Di nuovo s'intende ch'alli confini di Littuania et Russia<sup>a)</sup> sono da 80 mila cavalli Tartari, degli quali si dubita assai che, per far pace questo Ser.mo Re co'l Duca di Moscovia, essi non venghino a danni di questo Regno<sup>443</sup>. Dicesi anco che gli Ambasciatori del Re di Suetia hanno esposto al Re in Vilna di Littuania come il loro Re ha dato una rotta di X mila cavalli al detto Moscovita, nemico suo<sup>444</sup>, come ancora degli Tartari. Il che tutto tende a questo effetto che il Re non si pacifichi [175v] con esso Moscovita. Pure, his omnibus non obstantibus, noi ci attaccheremo a quel bel verso del Poeta: *Bella gerant alii, tu, Pari, semper ama*<sup>445</sup>.

Et perché alli giorni passati intendessimo, io et il Rev.mo Arcivescovo<sup>446</sup>, appresso al quale son al presente, che le cose della fede in alcuni luoghi del Regno procedevano male et che le conventicole de gli heretici si facevano più che mai, senza prohibitione alcuna, habiamo scritto una lettera commune sopra ciò a Sua Maestà del tenore ch'ella vedrà, perché le ne mando la copia<sup>447</sup>.

Ancora perché ho inteso che il Palatino di Vilna<sup>448</sup> ha cercato con gran istanza d'intendere in che conto egli sia appresso di me et che oppenione io habbia di casi suoi, ho pigliato occasione di scrivergli una lettera nella forma ch'ella intenderà per la copia, nella quale, et per debito dell'ufficio et per scarrico della mia coscienza, gli ho voluto dire tutto quello che s'intende di lui<sup>449</sup>, perché con questi ribaldi bisogna parlar alla libera, che chi fa altrimenti dà fomento alla loro apostasia, et essi, sotto pretesto di essere tenuti Christiani, devorant gregem Domini. Et se questo solo fusse estirpato da questo Regno, perché è causa d'ogni male, ardirei dire, quod facili manu omnes isti motus sedarentur.

Non posso dire haver havuto una lettera di V.ra Signoria Ill.ma doppo ch'io son in questo Regno in cinque mesi ch'io vi sto. Et perciò faccio fine, etc. Di Loviz nella Polonia Maggiore, a 2 di Marzo 1556.

A[loyse] L[ipomano] V[escovo] di Verona

<sup>a)</sup> *In copia: Prussia, corr. ex summario.*

<sup>443</sup> De indutiis inter Sigismundum Augustum et Ioannem IV dictum Terribilem (1530-1584), ab a. 1547 magnum duces Moscoviae, inits, cfr. supra, N. 52 et 57.

<sup>444</sup> *Reapse exercitus Suecorum, qui mense Ianuario a. 1556 arci Viborg in Finlandia a Moscovitis oppugnatae in auxilium ibant, 11 milia militum numerabat, cfr. Arvo Viljanti, Gustav Vasas ryska krig 1554-1557, Stockholm 1957, p. 777.*

<sup>445</sup> Ovidius, *Heroides* 13, 84.

<sup>446</sup> Nicolaus Dzierzowski.

<sup>447</sup> Vide supra, N. 76.

<sup>448</sup> Nicolaus Radziwiłł "Niger".

<sup>449</sup> Vide supra, N. 81.

## N. 85.

**Sigismundus Augustus, rex Poloniae  
Aloisio Lippomano**

Vilnae, 19 III 1556.

*Ad litteras eius et archiepiscopi (Dzierzgowski) respondens dolorem suum ex conventu Seceminensi perceptum exprimit, sed propter privilegia nobilitatis sibi non licere asserit participes eius in iudicium vocare. Promittit tamen causam hanc in proximis regni comitiis in medium proferre.*

**Or.:** AV, A.A. I-XVIII, ms. 6540 f. 185r. Charta in parte inferiore corrupta. In f. 185v inscriptio, sigillum (optime servatum) et breve summarium.

- **Cop. XIX saec.:** AV, Carte Farnesiane 17 p. 139-140 (Augustini Theiner).

- - **Ed.:** Theiner VMPL II, p. 591-592.

**Reg.:** Warszawa, AGAD, Lib.Legat. 16 f. 206r-v (cum dato 5 III!).

**Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae,  
Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. Dominus et Heres**

Rev.me in Christo Pater, grate nobis dilecte. Permolestum nobis accidit, quod litteris Rev.mae Paternitatis V.rae et Rev.mi D.ni Aepi Gnesnensis nuper accepimus de Conventiculo Seceminensi, atque id non verbis modo, sed re etiam ipsa testatum facturi sumus, iudicio persecuturi facinus illud et contemnentem leges publicas licentiam<sup>450</sup>. Sed huc evocare auctores illius Conventiculi, per praerogativas Nobilitatis et constitutiones Regni nostri, nobis non licet. Curabimus autem, ut ad futura eiusdem Regni nostri Comitia citentur. Et iam id faceremus, nisi expectandum adhuc nobis potius esse videretur, donec veniant ii, qui ab eo Conventiculo ad nos mitti feruntur, quo exactius de re tota cognoscamus. Paternitas V.ra Rev.ma bene valeat. Datum Vilnae, XIX die mensis Marcii, Anno Domini M.D.L.VI<sup>o</sup>, Regni vero nostri anno XXVII<sup>o</sup>.

(<sup>a</sup>-Sigismundus Augustus  
Rex subscripsit-<sup>a</sup>)

<sup>a</sup>) *Autographum.*

<sup>450</sup> Cfr. supra, N. 76.



## N. 86.

**Aloisius Lippomano**  
**Sigismundo Augusto, regi Poloniae**

Lovicii, [3 IV 1556].

*Dolorem eius, quem ex conventiculo Seceminensi percepit, et mandata contra haereticos lata, archiepiscopo (Dzierzgowski) et episcopo Cracoviensi (Zebrydowski) transmissa, laudat et petit, ut exsecutioni mandentur. Transmittit novam cultus ecclesiastici formam ad modum Lutheranum reformati, in ecclesiis Gedanensibus introducendi, et nuntiat de synodo haereticorum Pinczoviae celebrata, de hospitio Francisco Lismanino in arce Cracoviensi concesso et Ioanne Łaski in Poloniam vocato. Hortatur regem, ut consiliis haereticorum firmiter resistat, exemplo reginae Angliae (Mariae) et legibus Polonis in hoc adductis.*

**Cop.:** AV, A.A. I-XVIII, ms. 5226 s.f. (ex cancellaria Lippomani). Vestigia plicaturae, superius adnotatio duabus manibus diversis exarata: "Religionis - Regi Poloniae contra Semiensem [sic] Conventum".

Ser.me Rex.

Permolestum fuisse Maiestati V.rae Sezemiensem conventum non dubito<sup>451</sup>. Quomodo enim tam effrenata improborum hominum licentia, passim omnia perturbans maioresque in dies tumultus excitans, nobilissimam illius Regis mentem non valde commoveat, qui et Christianus sit et christianam quam maximis possit honoribus pietatem provehat atque in altum extollat?

Vidi mandatorum exempla, quae a Regia Maiestate V.ra, tam Rev.mo huic Archiepiscopo, quam Cracoviensi Episcopo contra hos ipsos innovatores data sunt<sup>452</sup>. Ea non potui non summe commendare. Gessit enim se in hoc Maiestas V.ra, ut optimum regem decet verumque Regis regum filium, qui eam regnare facit super terram ad ulciscendas sibi ab impiis et sceleratis hominibus illatas iniurias, qui Filii sui sanguinem conculcant et Spiritui

<sup>451</sup> Cfr. supra, N. 85.

<sup>452</sup> Agitur haud dubie de exsequendo a capitaneis decreto regio de Stanislawo Lutomirski e paroecia Coninensi (Konin, sub iurisdictione aepi Gnesnensis manente) destituendo (latum 20 I 1556, v. H. Kowalska, *Lutomirski Stanislaw*, PSB XVIII, p. 144, cfr. Pocięcha AMD, p. 86) et de Francisco Lismanino in dioecesi Cracoviensi non admittendo (cfr. infra, annotationem 456). Quod utrumque hoc decretum vicecancellarius Ioannes Przerembski a rege impetraverit, tum ipse testatur (v. infra, N. 97), tum S. Lutomirski in litteris ad Albertum, in Prussia ducem, 17 VIII 1556 datis affirmat (v. Lanckorońska DARP X, p. 95).

gratiae contumeliam faciunt<sup>453</sup>. At spectandum quos fructus pariant tam fortia atque urgentia mandata. Num hi, qui exequi tenentur, ea posthabeant, nec penitus curent, ut nonnulli fecere, qui et turpia nescio quae et indecora verba addiderunt. Sed illa, de quibus ipsi, quia regiae dignitati consentanea non sunt, pro ea qua sum in Maiestatem V.ram observantia, silentio praetereo. Factis, Rex invictissime, res ista opus habet, alioquin in vestro regno (quod Deus omen obruat) actum de religione erit.

Ut vero videat Maiestas V.ra me non inconsulte ac temere loqui, transmittito ad eam novam Ecclesiae formam Gedani factam, id est sacrorum omnium, ceremoniarum, feriarum universique, qui in sacris templis Deo offertur, fructus laborum eversionem. Qua, bone Deus, auctoritate confectam? Papae ne? Absit! Sed vilis homunculi impudentia ac temeritate, qui parochiae cuiusdam sibi curam usurpavit<sup>454</sup>. Haec si conniventibus oculis spectaris, Rex optime, et in comitia futura reservaris, praedico Maiestati V.rae sexcenta huiusmodi mala ad eius aures perventura, quibus si deinde voluerit occurrere, nequaquam poterit. Haeresibus quamprimum resistendum est et parvuli allidendi ad petram, nam cum paululum eae invaluerint, frustra in extirpandis laboratur. Sic Arrius modica illa scintilla in Dei Ecclesia, quia cito non fuit extincta, totum pene orbem incendit. [v] Hi vero sunt, Ser.me Rex, qui comitia et generale concilium quotidie postulant atque inclamantes efflagitant. Quae si ex animo petunt, cur eorum iudicium praevertunt omniaque propria temeritate conturbant? Mira certe haec hominum perversitas, qui, cum hoc velle se dixerint, aliud tamen assequi contendunt.

At tertium quoque diabolicum conventum Maiestati V.rae defero, Dominica de Passione Domini proxime elapsa in Pinzoph celebratum, quem superioribus longe nequiores fuisse dicunt<sup>455</sup>. Cogitet Maiestas V.ra pro sua sapientia, num haec sine gemitu ac lachrymis audiri possint. Accedit etiam, quod Ismalinum illum, Franciscanae religioni olim addictum, nunc vero apostatam et coniugatum, asserunt ex Germania esse reversum atque hunc innovatorum antesignanum gerentem, nefandissimos in praesens Cracoviae habere conventus, eosque ipsos in arce Maiestatis V.rae, atque ibi (quod omnium deterrimum est) a regio procuratore ali ac confoveri<sup>456</sup>. Laschi quoque,

<sup>453</sup> Cfr. Hebr. 10, 29.

<sup>454</sup> Exemplar huius documenti, una cum apographo litterarum Gregorii Wagner ad burgimagistrum Gedanensem, Constantinum Ferber, scriptarum, Lippomano haud dubie per Hosium transmissum (cfr. litteras Ioannis Brandt ad Hosium, Gedani 21 III 1556, Hipler-Zakrzewski HE II, p. 691), servatur in AV, A.A, I-XVIII, ms. 6544 f. 62r-66r, vide A. 17.

<sup>455</sup> Agitur haud dubie de conventu quodam praeparatorio ante veram synodum Pinczoviensem, quae non prius quam diebus 24 IV - 1 V 1556 celebrata est (cfr. Sipayłło I, p. 53-78). Dominica in Passione Domini a. 1556 cadebat in diem 22 Martii. Tempore illo nulla synodus evangelicorum in Polonia celebrabatur.

<sup>456</sup> Synodi Seceminensis participes 24 I 1556 una voce decreverunt Lismaninum in Poloniam evocare, "locum vero constituerunt pro illo apud d.num Biecensem in Balice" (cfr. Sipayłło I, p. 48), id est apud Ioannem Boner († 1562), castellanum Biecensem ab a. 1555, qui ab a. 1552 etiam burggravi Cracoviensis munereungebatur. Re quidem vera Lismaninus, cum exeunte mense Martio 1556 in Poloniam

haereticum illum, brevi affuturum, magno eam in urbem stipendio evocatum, ferunt<sup>457</sup>.

Cur me, obsecro, bone Iesu, hoc tam infelici tempore in nobilissimum Poloniae regnum misisti, ubi cum tot mala audire compellar, nulla tamen summe necessaria audiam afferri remedia? Quae nam piaae id aures ferre possunt: Improbis ac perditis hominibus impune omnia licere, nihil vero invictissimo ac sapientissimo Regi meo? Muliercula una, Regina Angliae, consiliis, armis, copiis auxiliisque omnibus destituta, religionem potuit, non modo variis casibus agitatam, confirmare, sed occidentem penitusque collapsam reparare<sup>458</sup>. At potentissimus Poloniae Rex, affluentibus omnium rerum copiis, in christianissimo regno christianam pietatem, a piissimo patre<sup>459</sup> traditam, tueri non poterit? Extant leges in hoc regno, eaeque mihi sunt in manibus, contra haereticos iam antea latae<sup>460</sup>. Nonne ex his in eos animadvertere potest Maiestas V.ra, si velit? An fortasse id irritum facit, quod sapiens Ecclesiasticus ait: Rex in solio regni sui omne malum dissipat intuitu suo<sup>461</sup>. Ego, per effusionem sanguinis Illius, qui hodie pependit in cruce<sup>462</sup>, per Maiestatis V.rae animae salutem (coetetur nanque de iis omnibus, si sic [r] abierint, exactissimam in die iudicii reddere rationem), pro regni demum sui incolumitate, ne quod insperatum malum obtingat, eam oro obsecroque, ut tandem se ipsam excitet, gladiumque, idcirco sibi datum, ut Dei sit vindex iniuriarum, aliquando distingat, nec patiat ut illa in posteros fama pervadat: Antiquissimum Poloniae regnum, nulli christianae pietatis gloriam concedens, sub Sigismundo Augusto, felicissimo rege, a catholica fide defecisse totumque se haeresibus dedidisse. Parcat Maiestas V.ra iusto dolori meo. Zelus nanque, tum Dei cultus et salutis animarum, tum vero singularis amor

---

venisset, sub tutela eius remansit, sed non in arce Cracoviensi, ne in Balice quidem, sed apud amicum eius Ioannem Karminiński in vicina villa Aleksandrowice dicta (cfr. Hein, p. 49).

<sup>457</sup> Ioannes Łaski, qui iam prius in Polonia invitabatur (cfr. N. 81), regis tamen veniam in patriam redeundi exspectabat. Litterae petitionem eius hac in parte continentes, alterae iam mense Decembri a. 1555, alterae ineunte a. 1556 missae, tunc temporis ad Sigismundum Augustum iam certe pervenerunt, cfr. Kowalska, p. 33-35 (non affert datum alterius epistulae).

<sup>458</sup> Maria Tudor dicta Catholica (1516-1558), filia Henrici VIII, regina Angliae ab a. 1553, religionem catholicam vi restaurare conabatur.

<sup>459</sup> Sigismundus I.

<sup>460</sup> Collectio huiusmodi legum, ex variis fontibus excerptarum, servata est in apographo ex manuscripto post Lippomanum relicto, Mediolani, BA, ms. D 175 inf. f. 170v-175r (exscripta deinde etiam in ms. APUG 588 f. 184r-190r et aliis codicibus posterioribus ac publici iuris facta a Rykaczewski I, p. 54-57). Constat ex sequentibus documentis: 1) "Statuta Regni Poloniae contra Haereticos ex libro Statutorum Regni Poloniae fol. 75" (editum contra Hussitas a. 1424), 2) "Confoederatio Principum... contra Regnicolas inobedientes... et haereticos eorumque fautores" (Korczyn, 25 IV 1438), 3) "Statutum Sigismundi Regis, Cracoviae Sabbato ante Natalem BMV a. 1523" (cfr. supra, annotationem 295; adest solum in ms. Mediolanensi), 4) "Copia instrumenti Regis de anno Domini 1550 de persequendis et expellendis haereticis" (cfr. supra, annotationem 280, adest solum in cod. Mediolanensi), 5) "Quid egerit Gregorius pp VII contra Regem et Regnum Poloniae, ex libro 2 f. 50 Historiae Polonicae" (Ioannis Dlugossii - de expulsiōne regis Boleslai post mortem s. Stanislai, epi Cracoviensis a. 1079).

<sup>461</sup> Cfr. Prov. 20, 8.

<sup>462</sup> Indiciū, quo datum huius epistulae definiri potest: Feria Sexta Hebdomadae Sanctae a. 1556 fuit 3 Aprilis.

in illam meus atque observantia, ita me profecto angunt et excruciant, ut nullam sim animo meo requiem daturus, quandiu haec tam dira calamitas prudentia sua ac pietate sublata non fuerit. Deus vero Optimus Maximus, qui huiusce regni gubernacula V.rae credidit Maiestati, cor eius dirigat et sancto sic sui amoris igne succendat, ut quae regio muneri incumbunt, ea ipsa cumulate ac magna cum laude praestare possit. Quod, veritate demum perspecta, eventurum spero planeque confido. Bene valeat Maiestas V.ra. Cui ut ego perpetuam opto felicitatem, sic suo ea me amore non indignum putet. Ex arce Lovicii.

N. 87.

**Aloisius Lippomano**  
**card. Carolo Carafa**

Lovicii, 8 IV 1556.

*Litteras eius 22 (27) II datas se accepisse nuntiat. Declarat se usque ad proxima regni comitia in Polonia manere statuisse. Petit, ut mandatario nominati epi Samogitiensis (Domanowski) summam 500 scutatorum nummum restitui faciat. Suadet, ut oratori Polono Romam misso (Maciejowski) clarum et firmum detur responsum.*

**Cop.:** Simancas, AG, Estado, leg. 2008 (Berzosa 6) f. 178r-179r.

Lettera scritta all'Ill.mo Card. Carafa a 8 di Aprile 1556

Ill.mo et Rev.mo *etc.* Hebbi finalmente la lettera di V.ra Signoria Ill.ma di XXII di Febraro<sup>463</sup>. Per la quale veggo ch'ella si degna ringratiarmi delle fatiche et travagli che da me son presi di qua. Il che non era bisogno, perché essendo io quella creatura ch'io sono di Sua Santità et tanto [178v] tempo servitrice, quanto più faccio, tanto più mi veggo debitor di fare.

---

<sup>463</sup> Vide supra, N. 83. Cum litterae card. Caroli Carafa, in quibus clare de negotiis agitur, quae a Lippomano hic referuntur, 27 II datae fuerint, scriba certe unum vel alterum datum vitiose transcripsit. Videtur tamen, quod potius in hac epistula eum inter "XX" et "II" numerum "V" omisisset.

Ho visto la mente di Sua Beatitudine<sup>464</sup>. Ma perché, s'io parto di qua hora, vedo ogni cosa andar in mal'hora, oltre ch'al fine tutti dariano la colpa alla mia presta partita d'ogni male che succedesse, non volendo che mai, né Sua Santità, né suoi ministri, habbiano questa tassa, et che tutto il mondo conosca che se costoro vorranno essere tristi, saranno per loro colpa et non nostra, ho deliberato scorrere qui fin'alla Dieta, et con ogni studio et solitudine prohibire, per quanto io potrò, che in quella non si determini cosa contra la Religione, ch'altrimente sarebbe pericolo non si facesse tutto il contrario. Così parimente son instato da questo Rev.mo Arcivescovo<sup>465</sup>, il quale, come ella sa, è il primo in questo Regno, et poi da tutti quelli che hanno affettione alla fede et all'obedienza di questa Santa Sede. Però V.ra Signoria Ill.ma non resterà di scrivermi alle volte.

Veggio ch'ella mi dice circa la materia di danari. Et credo Sua Santità essere angustiata, ma deve pensare ch'ancor io sto molto peggio, non havendo più che tanto da potermi prevalere. Già doi mesi sono pregai V.ra Signoria Rev.ma facesse pagar costì 500 scudi al nominato di Samogathia [sic] per ispedir le bolle del suo Vescovado<sup>466</sup>. Confido nella bontà di Vostra Signoria Ill.ma l'haverà fatto volentieri et non lascerà che la mia lettera et io restiamo in vergogna, perché non lo merito. Bacio la mano a V.ra Signoria *etc.* Di Loviz, a VIII d'Aprile 1556.

A[loyse] L[ipomano] V[escovo] di Verona

Postscripta. A quest'hora si deve ritrovar appresso Sua Santità l'Oratore di questo Ser.mo Re<sup>467</sup>, il mandar del quale è stato da me [179r] sempre sollicitato per molti rispetti. Bisognerà che Sua Beatitudine gli parli chiaro et mostri sempre di sapere molto bene come passano di qui le cose et chi è colpa di tanta rovina d'anime, quanta è in questo Regno. Et non lo lasci partire che non gli dica a pieno tutta la mente sua, perché vi bisognano altri remedii che di parole. Sarà poi non grave a V.ra Signoria Ill.ma darmi avviso di quel che avrà risoluto Sua Santità con esso Oratore<sup>468</sup>.

---

<sup>464</sup> Scilicet ut arbitrio eius permitteretur, utrum in Italiam ei discedendum, an in Polonia remanendum esset, cfr. N. 78.

<sup>465</sup> Dzierzowski.

<sup>466</sup> De hoc mutuo a Ioanne Domanowski sumpto vide supra, N. 73.

<sup>467</sup> Stanislaus Maciejowski (vide supra, N. 40, 52, 68, 70), Romam non nisi 23 IV 1556 pervenit, cfr. Wojtyska PP, p. 358.

<sup>468</sup> Quod orator secundum consilia Lippomani a Paulo IV tractatus fuerit, quamquam praesentes litterae iam post eius discessum (27 V 1556) Romam pervenerunt, vide infra N. 93, cfr. Wojtyska PP, p. 359-364.

**Aloisius Lippomano**  
**Martino Cromero, secretario regio**

Lovicii, 10 IV 1556.

*Epistulas eius laudat et probat modestiam, qua ductus societatem hominum dignitatibus honoribusque insignitorum fugere mavult.*

**Or.:** Gotha, FB, ms. Chart. A 381 f. 68r. In f. 69v inscriptio (Vilnam) et sigillum.  
**- Ed.:** Cyprianus, p. 577-578.

Gratae<sup>a)</sup> mihi semper, vel potius periucundae, erunt literae tuae, mi Cromere doctissime, cumque elegans et idem purus in iis sermonis ornatus, nec non singularis amor ille in me tuus eluceat, haud facile scio, utrum me magis oblectet, nam sive ad amorem tuum, sive literarum elegantiam me refero, totus tu mihi aequè iucundus occurris. Evenit tamen, ut cum alterum plerumque magis admiror, in altero animus meus quam maxime requiescat. Ita vero tuae me literae delectant, ut eas velim ad me saepius dari.

Laudo consilium tuum, tuamque in eo prudentiam agnosco<sup>469</sup>. Nam si in eo dignitas est, quod bene sentias id libera oratione defendere, quid te amabo in istis locis contineas, ubi ne vestigium quidem ullum dignitatis existat, nihilque ob oculos versetur, quod aspicere sine suspirio possis. Istorum certe hominum celebritatem, haud mirum est, si abhorret animus a natura bene informatus. At tibi ea in re gloriandum est, quod in omni loco, vel si desertissimam in solitudinem te contuleris, cum maxima dignitate esse potes. Bene vale, tibi que persuade, me in te amando nemini unquam concessurum. Ex arce Lovicii, IIII Idus Aprilis [M.D.]LVI.

Rev. dae Dominationis tuae amantissimus

<sup>b)</sup>A[loisius[ Lipomanus indignus Epus Veronensis, Nuncius Apostolicus<sup>b)</sup>

<sup>a)</sup> *Consueta officiosa et titulus desunt.*

<sup>b-b)</sup> *Autographum.*

---

<sup>469</sup> Certo ad litteras se refert, quas reperire non potuimus.

## N. 89.

**Aloisius Lippomano**  
**Paulo IV, pontifici maximo**

Lovicii, 17 IV 1556.

*Mittit acta processus, quem de eius mandato contra epum Vladislaviensem (Drohojowski) celebraverat.*

- Cop. coeva:** Milano, BA, ms. D. 175 inf., f. 134v (non accessibilis).
- **Cop. XIX saec.:** Kraków, BPAN, ms. 8464 (Theca Romana 124) I, f. 31r-v.
- Cop. XVI saec.:** Roma, APUG, ms. 588 f. 130r-v.
- **Cop.:** AV, F.Borghese I 163-169 f. 84v-85r.
- **Cop.:** Venezia, BM, Ms. It. V 16 (5668) f. 287r-v.
- Cop.:** Torino, AS, Racc.Mongardino, ms. 82 f. 306v.
- Cop.:** BV, Barb.Lat. 851 f. 273r-v.
- **Ed.:** Rykaczewski I, p. 25.

Sanctissime Pater. Post humilem pedum exosculationem beatissimorum.

Mitto Sanctitati V.rae parvum Processum, quem de eius mandato contra Episcopum Vladislaviensem qua maiore potui celeritate, sinceritate [31v] et fide formavi, una cum attestationibus gravium virorum, super ea re examinatum<sup>470</sup>. Non deero etiam in posterum alios, quoscumque invenire potuero, eadem diligentia excutere et eorum testificationes Beatitudini V.rae dirigere. Quam Omnipotens Deus, qui eam elegit, diu ad Ecclesiae suae splendorem amplificationemque incolumem nobis conservare dignetur. Lovicii, ex Regno Poloniae, die XVII mensis Aprilis MDLVI.

Humillimus Sanctitatis V.rae servus

A[loisius] Lypomanus indignus Epus Veronensis

## N. 90.

**Ioannes Drohojowski, epus Vladislaviensis**  
**Aloisio Lippomano**

Volboriae, 12 V 1556.

*Nuntiat se a quodam amico certiore factum esse eum Vladislaviam proficisci statuisse. Valde ergo miratur hanc rem sibi, loci ordinario, ab eo signifi-*

<sup>470</sup> Vide A. 18.

*catam non fuisse. Refert se, ex Germania reversum, Gedanum excurrere debuisse, neque ubi eum quaereret scivisse, et affirmat eius se gerendi rationem auctoritatem episcopalem minuere et cum modo agendi aliorum summi pontificis legatorum, praedecessorum eius, vehementer pugnare.*

**Cop. coaeva:** Milano BA, ms. D 171 inf., f. 131v-132v (actis processus epi Drohojowski annexa, cfr. A. 18, non accessibilis)

- **Cop. XIX saec.:** Kraków, BPAN 8464 (Theca Romana 124) I, f. 28r-29v.

Copia litterarum Episcopi Vladislaviensi[s],  
scriptarum ad A[loisium] Lipomanum, Epum Veronensem,  
Nuntium apostolicum in Regno Poloniae

Rev.me Pater et Domine, D.ne Colendissime, mei et officiorum meorum diligentissimam commendationem.

Nudius tertius vesperi litteras a quodam amico accepi, quibus mihi significavit Paternitatem V.ram Rev.mam crastina die Vladislaviam venire instituisse. Quod [28v] mihi ab ipsa Dominatione V.ra Rev.ma significatum non esse valde miror, non enim commissem, quin Paternitati V.rae Reverendissimae et adveniendi praesto essem et commoranti rebus quibuscunque possem gratificarer. Neque vero solum privatim iucundum mihi fuisset tantum virum, prudentia et virtute praestantem, videre in aedibus meis eique omnia humanitatis officia exhibere, sed et publice magno me et cunctum Clerum meum honore affectum putassem, cum Summi Pontificis Nuntius in eum adveniret locum, qui caput est Ecclesiae meae Vladislaviensis. Itaque et ego cum Praelatis, Canonicis et universa Plebe eum tibi honorem vicissim habuissem, qui deceat tantum Virum tantique Pontificis legatum, et obviam prodeundo, et in aedes meas accipiendo, et omnem animi gratissimi significationem faciendo.

Reversus ex itinere Germanico, a Maiestate Regia Domini mei clementissimi mihi imperato<sup>471</sup>, Vladislaviam recta ad Hebdomadam Sacram me receperam. Illic, et morte et resurrectione Salvatoris nostri celebrata, sacrisque solemnibus et necessariis obitis<sup>472</sup>, excurreram mox a feriis Paschae negociorum causa in Prussiam, atque adeo Gedanum usque. Rebusque illic constitutis ac limitum certorum iudicio celebrato, Vladislaviam quarto aut quinto die post Divi Adalberti<sup>473</sup> reverteram, quo quidem tempore Gnesnae

<sup>471</sup> Drohojowski praefuit ablegatis regiis, qui m. Februario a. 1556 reginulam Sophiam, Henrico duci Brunsvicensi in matrimonio datam, Guelferbytum (Wolfenbüttel) comitabantur (cfr. supra, N. 70, 74). Ex Germania Varsaviam revertit 27 III 1556 (vide Kot AFM, p. 143-145).

<sup>472</sup> Vide A. 18; a. 1556 Pascha cadebat in 5 Aprilis.

<sup>473</sup> Id est 27 vel 28 Aprilis.



te fuisse audiui, sed quid illic ageres, quove illinc iter convertere velles, igno-  
ravi<sup>474</sup>. Non grave mihi fuisset vel Gnesnam ad te concedere, vel Vladislaviae  
te expectare, vel hinc iterum tua [29r] causa Vladislaviam redire, si modo id  
certi tibi esse scivissem.

Itaque quod tu, tantus vir, tantique Pontificis apud nos mandata exe-  
quens, significationem mihi, loci ordinario, nullam feceris, vel consiliorum  
tuorum vel adventus tui in eum locum, qui sedes est Episcopatus mei, et mi-  
ror supra modum et doleo vehementer. Mittebantur olim a Pontificibus lega-  
ti in Provincias, vel religionis vel aliorum negotiorum causa; mittebanturque  
et ad Episcopos Dioecesesque eorum. Qui tamen legati non id sibi sumebant,  
ut in Dioecesi aliqua aliquid exercerent, nisi cum loci ordinario consiliis com-  
municatis. Tibi cur ita agere placeat, ut in Dioecesis meae principe loco agere  
aliquid velis (non enim puto te animi tantum causa eo venturum esse), me  
socio, aut certe consiliario non adhibito, tute videris? Si tibi parum idoneus  
consiliis ac rebus agendis videbar, persona tamen loci ordinarii, quam susti-  
neo, movere te debebat, ut ne me negligeres. Vilescit enim in vulgus auctori-  
tas nostra Episcoporum, cum contemptui habetur a legatis primae sedis. Ne-  
que ego video, quomodo unitas Ecclesiarum conservari possit, si qui a Sum-  
mo Pontifice legantur, agant quid in Dioecesi aliqua, Episcopo loci impruden-  
te, quasi vero qui legantur, non ab illo eodem legantur, qui muneris sui par-  
tem in singulos Episcoporum pro portione derivando, fecerit eos sibi Coepi-  
scopos et Cooperarios. Quod, si ab illo ipso legantur, an non communicatis  
consiliis omnia agere eos cum Episcopis deceat?

Verum haec, utcumque se habeant, ut Reipublicae nostrae [29v] et Eccle-  
siae Christi recte eveniant, ex animo opto. Idque usque eo, ut cupiam religio-  
nis et Reipublicae incolumitatem videre. Vel meo ipsius periculo tuas actio-  
nes Deum prosperare cupio, mei et meae loci ordinarii personae hanc infeli-  
citatem dolere nunquam desinam. Vale. Volborio, die Martis, XII Maii Anno  
1556.

Eiusdem Rev.mae Dominationis V.rae frater observantissimus

Ioannes<sup>a)</sup> Vladislaviensis et Pomeraniae indignus Episcopus

<sup>a)</sup> *In ms.: Iacobus; cfr. Introductionem.*

---

<sup>474</sup> Lippomanus, archidioecesim visitans, Gnesnae commoratus est a 29 IV usque ad 6 V 1556 (vide  
Wojtyska PP, p. 78, cfr. A. 21).

## N. 91.

**Aloisius Lippomano**  
**Ioanni Drohojowski, epo Vladislaviensi**

Vladislaviae, 14 V 1556

*Ad litteras eius respondens communicat se officiali eius (Nicodemo Pcezeniński) adventum suum Vladislaviam annuntiasse, voluisse enim de Ecclesiae reformatione cum eo tractare et sperasse se eum residentiae officium adimplentem inventurum esse. Reprehendit eum in iis, quae de legatis antiquis Sedis Apostolicae scripserat, et asserit auctoritatem episcopalem non eo imminui, quod dioeceses a legatis pontificiis visitentur, sed quod episcopi officia sua negligant. Certiorem eum facit se breve pontificium ei destinatum officiali eius tradidisse eumque ad maiorem diligentiam in cura animarum exercenda adhortatur.*

**Cop. coeva:** Milano BA, ms. D 171 inf., f. 133r-134r (actis processus epi Drohojowski annexa, cfr. A. 18, non accessibilis)  
 - **Cop. XIX saec.:** Kraków, BPAN 8464 (Theca Romana 124) I, f. 29v-30v.

## Responsio

facta per Aloysium Lipomanum, Nuncium in Regno Poloniae,  
 ad supradictas litteras Episcopi Vladislaviensis

Rev.me Domine. Si ad Indos vel Moschos aut alias longiores regiones ad requirendam Paternitatem V.ram Rev.dam ivissem, posset illa profecto iure meritoque de me conqueri, quod insperatus esset adventus meus, sed cum ad Ecclesiam illam venerim, ubi Dominatio tua residere tenetur, ex qua etiam honorificentissime sustentatur, inique meo iudicio mecum expostulat. Quid enim scirem ego apud sponsam suam me illam non reperturum? Adde, quod ex Uniovio<sup>475</sup> Cancellarius Rev.mi Archiepiscopi<sup>476</sup> Officium Dominationis V.rae Rev.mae<sup>477</sup> de nostro huc adventu admonuerat et totum Poloniae Regnum nostram hanc peregrinationem sciebat, Paternitate V.ra excepta, quae sola peregrina illam ignoravit. Veniebamus, ut Dominationem V.ram salutareremus, ut secum de praesentibus incommodis loqueremur et aliquod simul super his solamen caperemus. Sed quia te domi non inveni, [30r] idcirco ne[c]

<sup>475</sup> Uniejów ad Wartam fluvium, 55 km occidentem et septemtrionem versus ab oppido Łódź distans, antiquissima archiepiscoporum Gnesnensium sedes, non multum distabat a via, qua nuntius et aepus Dzierzowski ex Posnania et Gnesna Lovicium iter faciebant. Cfr. A. 18.

<sup>476</sup> Stanislaus Dąbrowski, cancellarius aepi Dzierzowski.

<sup>477</sup> Nicodemus Pcezeniński, canonicus et vicarius in spiritualibus ac officialis generalis dioecesis Vladislaviensis (Ulanowski ACPV, p. 326)

ea praetermittere debui, quae mihi a Ss.mo D.no Papa commissa, vel quia hic Rev.dum D.num Episcopum non reperi, qui esset mihi a consiliis, me quoque re infecta recedere oportuit? Absit, ut ita desipiam.

Dicis in litteris tuis, Rev.me Domine, quas hodie accepi, quaedam de legatis antiquis Sedis Apostolicae, quasi nos adolescentiores adhuc simus et nunc primum huiusmodi fungi muneribus incipiamus, ut ab ea nobis opus sit exercendi officii nostri regulam sumere; et doles apostolicum Nuntium in tuam sine te principalem Ecclesiam venisse et aliqua in ea, praeter ius fasque, negocia gessisse, cum sis ipse quoque in Cooperarium Romani Pontificis assumptus, quasi vero Vicario Christi non sit commissa totius Ecclesiae cura et ad eum sollicitudo omnium Ecclesiarum non pertineat, et ipse non sit super caeteros Episcopos omnes Pastor et agere per se aut ministros suos non possit in qualibet Ecclesia, quaecunque velit. Consultum profecto valde fuisset, si hoc verum esset, Christianae Reipublicae si Iulius, si Marcus, si Liberius, Foelix et Damasus, olim Romani Pontifices, nihil agere in Oriente potuissent, nisi Orientalibus Episcopis consultis. Hoc enim pacto Arrianam adhuc perfidiam videremus, quam eorum Pontificum auctoritate et virtute extinctam omnes novimus<sup>478</sup>. Miror profecto haec ab ore tanti Patris esse profecta, sed ei parco, quoniam verba sua non loquitur, sed alterius nescio cuiusdam<sup>479</sup>.

At, inquis, vilescit vulgo episcopalis auctoritas, cum ab apostolicis legatis contemptui habetur. Et quis te contempsit, bone [30v] Pater? Nonne tu potius apostolicum Nuntium, si vera fari licet, contempsisti, quem cum omnes Episcopi et cunctae Ecclesiae, non praemonitae, exultantibus animis advenientem excipiant, tu solus, frivolis quibusdam ratiunculis adductus, nempe quia culinam Volbodium praemiseras et frater<sup>480</sup> nescio quas sarcinas asportaverat, recedere voluisti, et postea conquereris tibi iniuriam factam, quod non fueris praemonitus. Vis dicam, quando contemptui apud omnes habetur Episcopus? Tunc, quando ipse in propria sede non residet, sed huc atque illuc quotidie vagatur; quando nec verbo nec exemplo oves pascit; quando erumpunt in caulas passim haeretici et ipse fugiens dimittit oves, aut canis est mutus nolens latrare<sup>481</sup>; quando lac et lanam ab ovibus accipit et earum curam negligit; quando imponit onera gravia et importabilia in humeros hominum, ipse autem nec digito suo vult ea movere<sup>482</sup>. Haec, inquam, Rev.me Domine, contemptibilem faciunt apud vulgus Praelatum, non autem a Pontificio Legato contemni. Sed novit Deus, me nullum unquam Episcoporum con-

---

<sup>478</sup> Marcus (336), Iulius I (337-352), Liberius (352-366) et Damasus (366-384), summi pontifices de reprimendo arianismo potissimum meriti. Felix II fuit antipapa a. 355-365. Fabula, cui Lippomanus credidisse videtur, ei, adversus Arianos fortiter pugnanti, mortem heroicam attribuebat.

<sup>479</sup> Auctorem litterarum Fricium Modrzewski fuisse suspicatur (cfr. A. 18).

<sup>480</sup> Stanislaus Drohojowski (1529-1583), capitaneus Volborensis ab a. 1554, socius peregrinationis Germanicae Ioannis, qui tunc iam "religioni reformatae" favebat (cfr. A. 18).

<sup>481</sup> Cfr. Isai. 56, 10.

<sup>482</sup> Cfr. Matth. 23, 4 et Luc. 11, 46.

tempissime, immo omnibus charitatis officiis omnique observantiae genere fuisse prosequutum, Teque imprimis, super quo tuam ipsius conscientiam nunc testem appello. Sed facit Rev.ma Dominatio Tua illorum debitorum more, qui cum multum alieni aeris conflaverint, alios quasi creditores in ius vocant<sup>483</sup>. At de his quandoque coram fortasse melius et plenius agemus.

Litteras Ss.mi Domini Nostri [31r] Papae, quae proxime Dominationi Tuae Rev.mae tradendae erant, Domino Officiali suo consignavi, qui eas fideliter ad illam transmittendas accepit<sup>484</sup>. Quod desiderat inter Praelatos animorum consensionem, bene facit. Utinam vero illa adesset et olim affuisset. Nam suspensam vestram Iurisdictionem ad tempus, in maximum Dominationum V.rarum dedecus modo non aspicerem, quae, ut in omnium cordibus plantetur, per me semper data fuit opera dabiturque, quamdiu in hoc Regno constitero, sed vel illis, qui quotidie discessionem moliuntur, et Aegypto dantes manum et Assyriis (ut sanctus ait Domini Propheta)<sup>485</sup>, profundi sunt corde, ut a Domino abscondant consilium, quorum in tenebris sunt opera, et dicunt: Quis videbit nos? Et quis novit nos? Perversa est enim haec eorum cogitatio<sup>486</sup>. Valeat Amplitudo Tua et de Sedis Apostolicae Nuntio, Amico suo et apud omnes Nationes de Christiana Republica, Dei gratia, optime merito, dehinc parcus loquatur. Deque hoc eam summopere hortor, nec enim is sum, qui talia audire merear, nec a Praelato, sub Petri Apostolorum Principis obedientia constituto, huiusmodi verba proferri par erat. Vladislaviae, die XIII mensis Maii MDLVI.

## N. 92.

**Paulus IV, pontifex maximus**  
**Aloisio Lippomano**

Romae, 29 V 1556.

*Mittit exemplar brevis ad epum Vladislaviensem (Ioannem Drohojowski) ei iniungentis, ut Romae compareat et de haeresis suspicione sese expurget, necnon breve ad eius capitulum et canonicos datum ipsis committens, ut - nisi episcopus post duos elapsos menses mandato obtemperaverit - episcopatus administrationem ipsi suscipiant. Consilium eius usque ad exitum comitiorum in Polonia manendi et diligentiam in senatoribus religioni catholicae lucrificandis adhibitam, de qua a card. Iacobo Puteo sibi significatum erat, probat et laudat.*

<sup>483</sup> Cfr. Matth. 18, 23-35.

<sup>484</sup> Cfr. infra, N. 102.

<sup>485</sup> Cfr. Osea 7, 11.

<sup>486</sup> Cfr. Isai. 29, 15-16.

**Min.:** AV, Arm. 44, ms. 2 f. 44r-v.

**Cop.:** Simancas, AG, Estado, leg. 2008 (Berzosa 6) f. 190r-v.

Ven.li fratri Aloisio, epo Veronensi, etc.

Ven.lis frater etc. Ea de Ven.li<sup>a)</sup> fratre<sup>b)</sup> Ioanne<sup>c)</sup> Episcopo Wladislaviensi ad nos delata fuisse scito, quibus pro eo ac debuimus graviter commoti necessarium esse duximus eum ad nos evocare, quod fecimus eis literis, quarum exemplum cum his coniunximus<sup>487</sup>. Et quoniam dilectis filiis Capitulo et Canonicis Ecclesiae Wladislaviensis mandavimus, ut si is, postquam duo menses, quos illi post acceptas literas nostras ad discedendum constituimus, praeterierint, iter ad nos ingredi, nisi forte graviore morbo impeditus, neglexerit, eo ab episcopali officio et administratione bonorum Ecclesiae, propter eam contumaciam et tergiversationem, culpa suae indicem, <sup>d-</sup>ex nunc, prout ex tunc a nobis<sup>-d)</sup> suspenso, bona illius Ecclesiae ex nostrarum literarum auctoritate ipsi administranda suscipiant<sup>488</sup>. Confidimus eos quidem mandatis apostolicis, ut decet devotos Sedis Apostolicae filios, esse obtemperaturos, sed tamen volumus, ut Fraternitas tua ad hoc eos tunc, si opus fuerit, hortetur atque excitet, si modo ipsas ad Episcopum et Capitulum literas reddendas eis esse iudicaverit, quas idcirco ad Fraternitatem tuam mittimus, ut aut reddendi aut non, potestatem habeat. Qua in re id aget, quod ipsi satius et rerum illarum statui aptius <sup>d-</sup>atque utilius<sup>-d)</sup> esse visum fuerit.

Tuum vero istic manendi consilium et futuri conventus exitum expectandi, industriam praeterea ac diligentiam, quam, ut ex dilecto filio nostro <sup>e-</sup>Iacobo tituli S. Mariae in Via<sup>-e)</sup> Presbytero Card. [44v] Puteo cognovimus, adhibere coeperas in conveniendis et cohortandis tum Episcopis tum <sup>f-</sup>Primariis Regni viris<sup>-f)</sup> laicis bene sentientibus, qui conventui interfuturi sunt, ut se ad resistendum fortiter<sup>a)</sup> impiis et turbulentis haeticorum ac seditiosorum hominum consiliis compararent<sup>g)</sup>, ita probamus et laudamus, ut insignem pietatem tuam et praestans erga honorem Dei et salutem animarum studium ex hac re vel maxime agnoverimus. De gravissimorum autem utriusque, ut diximus, ordinis virorum studiis, qui tam praeclare, ut scripsisti, ad catholicam fidem et religionem istic defendendam te adiuvere instituerunt, liben-

<sup>487</sup> Breve hoc, 29 V 1556 datum, asservatum est in min. AV, Arm. 44, ms. 2 f. 43r.

<sup>488</sup> Etiam hoc breve, eodem dato 29 V 1556 praeditum, ad nostros dies asservatum est in min. AV, Arm. 44, ms. 2 f. 38r (ed. Ehrenberg UA, p. 74).

tissime cognovimus<sup>489</sup> et meritas eorum nomine Deo omnipotenti gratias agimus, qui Sancti sui Spiritus calore eorum corda tantopere accendit, magnamque in eorum consensu et conspiratione adversus improbos spem reponimus. Nec dubitamus, quin ipsum omnipotentem Deum, quem talis (a-animi atque-a) consensus auctorem habent, etiam optimorum consiliorum suorum sint (h-adiutorem habituri-h), eundemque talis voluntatis<sup>i</sup>), virtutis, pietatis, constantiae, quam in ipsius sanctissima religione tuenda adhibent, etiam remuneratorem. Datum Romae apud s. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXIX Maii M.D.LVI, Pontificatus nostri anno secundo etc.

Fr[anciscus] Bin[us]<sup>j</sup>)

a, a-a) *Adscriptum supra.*

b) *Sequitur expunctum: nostro*

c) *Adscriptum supra pro expuncto: N.*

d-d) *Adscriptum in margine.*

e-e) *Adscriptum pro expuncto: SRE*

f-f) *Adscriptum supra pro expuncto: principibus laicis istius Regni*

g) *Correctum ex: comparent*

h-h) *Sequitur expunctum: sint*

i) *Adscriptum supra pro expuncto: animi*

j) *Manu ipsius Bini.*

### N. 93.

**Ioannes Carafa, dux Paliani**  
**Aloisio Lippomano**

Romae, 30 V 1556.

*Refert de oboedientia a Stanislao Maciejowski nomine regis summo pontifici praestita et postulationibus propositis, de eiusdem pontificis indignatione ob illas exorta et proposito ad eas repudiandas concilium universale in Laterano convocandi, de legatis propterea ad imperatorem (Carolus V) et regem Galliae (Henricum II) missis. Repetit papam arbitrio eius relinquere, utrum ei in Polonia manendum, an in Italiam revertendum sit, monet tamen praesentiam eius in futuro concilio necessariam fore. Promittit se mox 1000 scutatos nummos mandatario eius numeraturum esse. Iubet omnem adhiberi diligentiam, ut in condicionibus matrimonii sororis regiae (Catharinae) cum herede regni Sueciae (Erico Vasa) cogitati insit etiam condicio, per quam episcopi expulsi, praesertim aepus Upsaliensis (Olaus Magnus), suis episcopatibus restituantur. Mit-*

<sup>489</sup> De qua re Lippomanus probabiliter scribebat, in litteris ad nostrum tempus non asservatis, ad card. Iacobum Puteo. Cfr. supra, N. 70.

*tit ei facultates et brevia ad epum Vladislaviensem (Drohojowski) et eius capitulum data de episcopo Romam citato et breve laudatorium ad epum Cracoviensem (Zebrzydowski). Certiorem eum reddit iudices Curiae Romanae bonis Palliani Ascanium et Marcum Antonium Colonna privavisse, papam autem illa in se contulisse; cardinales Carolum Carafa et Pisanum (Rebiba) ad obeundas legationes eis commissas iam profectos esse.*

**Cop.:** Simancas, AG, Estado, leg. 2008 (Berzosa 6) f. 187v-189v. Sub textu in f. 189v eadem manu: "Tenuta fin'a gli III di Giugno".

**Cop. XVIII saec.:** Kraków, BCz, ms. 69 p. 593-594 (apographum Ioannis B. Albertrandi, "ex codice manuscripto Archivi Domus S. Pauli Clericorum Regularium Theatinorum Neapoli, Stipo X<sup>o</sup>, N<sup>o</sup> 62, pag. 487").

- **Ed.:** Rykaczewski I, p. 29-32 (versio Polona, mendis et omissionibus non carens).

#### Lettera dell'Ill.mo Sig. Duca di Paliano di 30 di Maggio 1556

Molto Rev.do Signor come fratello. Il Signor Stanislao, Ambassador del Serenissimo Re di Polonia<sup>490</sup>, ha esposto in Consistoro il buon animo del Re et prestato la solita obediencia a nome di Sua Serenità<sup>491</sup>. Al quale è stato risposto con molta laude del Re in questo atto, come V.ra Signoria vedrà per la copia del breve che Nostro Signore scrive a Sua Serenità, la qual copia se le manda con questa per sua instruzione<sup>492</sup>. Et veramente la persona del detto Sig. Stanislao è parsa a Sua Beatitudine molto atta, molto prudente, buona et religiosa. Ha mangiato con Sua Santità et con questi Signori Ill.mi alla solennità della Coronatione<sup>493</sup>. Et nel resto è stato [188r] veduto et accarezzato amorevolmente da Sua Beatitudine.

<sup>490</sup> Stanislaus Maciejowski, cfr. infra N. 40, 52, 68, 70, 87.

<sup>491</sup> Consistorium illud 5 V 1556 celebratum fuit, cfr. Wojtyška PP, p. 359. Textus orationis, quam tunc Maciejowski coram summo pontifice habuit, invenitur in AV, A.A. I-XVIII ms. 6540 f. 187r-188r (ed. Theiner VMPL II, p. 586-587); constituebat sic dictam "instructionem primam" seu publicam, et uti talis inscripta erat etiam in Librum Legationum cancellariae regiae (Warszawa, AGAD, Lib. Legat. 15 f. 434v-438r).

<sup>492</sup> Breve 27 V 1556 datum asservatum est in reg. AV, Arm. 44, ms. 2 f. 49r-50v (ed. Raynaldus XIV, p. 597). In quo tamen non nisi gratiarum actio pro praestita oboedientia et laudatio oratoris continetur, de negotiis vero ab eo agitatis Lippomanus cum rege tractaturus erat.

<sup>493</sup> Sollemnitatis primi anniversarii coronationis summi pontificis 26 V 1556 celebrata est.

Nell'audienza secreta<sup>494</sup> poi ha fatto l'infrascritte petitioni, ciò è che'l Re è constretto dall'importunità di suoi popoli di chiedere che si conceda loro dire la messa et gli altri officii nella loro lingua Polacca. Item che'l popolo et tutti si possano comunicare sub utraque specie. Appresso che sia conceduto il matrimonio a gli Sacerdoti. Et per quarto il Concilio nationale<sup>495</sup>. Le quali petitioni, essendo di quella pessima qualità che V.ra Signoria ha conosciuto et scritto sempre, Nostro Signore l'ha sentite con infinita amaritudine et non senza espressa doglienza che il Re si sia lasciato trascorrere a chiederle, sia il popolo o siano altri che lo stimolano; anzi, doveva Sua Serenità non ascoltare chi gli parlasse di materie tanto inique et resistere alla loro importunità et perversità, come han fatto i suoi piissimi antecessori. Et finalmente ha mostrato al detto Sig. Stanislao che le sopradette petitioni et il pericolo, nel quale Sua Beatitudine vede quel Regno, tanto amato da lei, la costringono ad accelerar la celebratione del Concilio Oecumenico, senza il qual non vede come si possa rispondere quanto conviene a tali requisizioni. Il qual Concilio Sua Beatitudine vuole che si nomini Lateranense et che si celebri qui in Roma, per molte cause che si scriveranno a V.ra Signoria più diffusamente al suo tempo, ma principalmente acciò che Sua Beatitudine, che per la vecchiezza sua non si può allontanar di Roma, possa intervenire et levar et tagliar ogni cavillatione et rissa non necessaria con la sua auttorità, et con la gratia di Dio venir subito all'estirpatione delle discordie et a dar forma a costumi, sì di Preti come di secolari, che l'un ordine et l'altro n'ha somma necessità. Nella qual riforma, oltre l'oppenioni salutari et severe di Padri, Sua Beatitudine proporrà essa le sue, ancora forse più severe, sì come ha già fatto in parte, anco [188v] senza il Concilio<sup>496</sup>.

Nella qual sentenza di far il Concilio subito et di farlo qui in Roma, come ho detto, Sua Beatitudine è così ferma che nessuna cosa non ne la può distor-

---

<sup>494</sup> De turbulenta audientia privata, Stanislao Maciejowski 9 V 1556 concessa, vide Wojtyńska PP, p. 359-361.

<sup>495</sup> Haec instructio, vocata secunda (secreta), etiam in Librum Legationum cancellariae Sigismundi Augusti relata (Warszawa, AGAD, Lib. Legat. 15 f. 438r-449r), a Iosepho Szujski edita est ex copia coeva, Cracoviae in BJ, ms. 75 I, p. 171-188, in duabus versionibus servata: in quarum una rex - praeter tres supradictas concessionem - etiam exposcit, ut concilium nationale in Polonia convocetur; in altera vero petit, ut concilium generale indicatur, quod si fieri nequiverit, tunc demum nationale celebretur (Szujski SRP I, p. 104-110). In locum primae versionis, post colloquium regis cum Lippomano Vilnae 5 XI 1555 habitum (cfr. N. 52), recepta est altera, quae 19 XI eiusdem anni oratori regio Maciejowski missa est. Praeter has Maciejowski accepit etiam tertiam instructionem, ad negotia particularia, quae ei in Curia Romana obeunda erant, spectantem (cfr. Wojtyńska PP, p. 355-357). Cfr. commentarium Frankiewicz, p. 267-268.

<sup>496</sup> Notandum est papam in supra memoratis litteris, ad Sigismundum Augustum datis, cogitati concilii nullam fecisse mentionem, de quo tamen scribit regi card. viceprotector Puteo in amplo commentario suo ad missionem Stanislai Maciejowski pertinente, 26 V 1556 dato, cfr. Latini I, p. 74-76.



re. Et benché questo santissimo pensiero sia nato et stabilito nella mente di Sua Beatitudine molto prima che hora, nondimeno la principal causa di notificarlo adesso è stato il manifesto et presente pericolo, nel quale è posto il Regno di Polonia. La qual cosa ha principalmente sollecitato Sua Santità a notificare a gli Principi Christiani questa sua volontà circa il Concilio. Et la principal commissione che questi Signori Ill.mi Legati, che vanno l'un all'Imperatore et l'altro al Re [di Francia]<sup>497</sup>, hanno, è questa. Anzi, possiamo dire che hanno questa sola commissione d'invitargli che stiano preparati a questo effetto del Concilio, come V.ra Signoria potrà vedere per la medesima instructione che s'è data a loro Signorie Ill.me, la copia della quale se le manderà fra pochi giorni<sup>498</sup>.

Questo è il remedio che Nostro Signore, havendo molto pensato et ripensato et invocato l'aiuto dell'onnipotente Dio, ha potuto trovare alle rovine di quei popoli di Polonia et d'altri luoghi d'intorno. V.ra Signoria, dunque, esorti il Re et quei Signori Prelati che piglino volentieri la fatica del viaggio et che stiano in ordine per venir a sanare per la loro parte le piaghe di Santa Chiesa et della lor patria propria; et siano certi che Nostro Signore gli vedrà con quello amorevole et affettuoso animo, che l'un fratello vede l'altro doppo lunghissimo et ardentissimo desiderio.

Quanto alla partita di V.ra Signoria, Nostro Signore ha approvato molto la sua resolutione per buona, et di nuovo rimette a lei il venire et lo stare<sup>499</sup>, ricordandole solo che la persona sua sarà necessaria in questo Ss.mo Concilio. Et quanto alle sue provisioni, non so se io mi potrò havere di presente mille scudi per dare all'Agente di V.ra Signoria<sup>500</sup>, ma se non lo potrò fare di presente, non tarderò molto a farlo.

[189r] Se V.ra Signoria sentirà che si stringa la prattica del parentado della sorella di quel Ser.mo Re [con il figliuolo del Re]<sup>a)</sup> di Suetia<sup>b)</sup><sup>501</sup>, Nostro Signore vuole ch'ella<sup>c)</sup> faccia quella diligenza maggiore che le parrà di poter fare, acciò che nelle capitulationi et condizioni di detto parentado sia posto

<sup>497</sup> Legatus a latere ad imperatorem Carolum V nominatus fuit card. Scipio Rebiba († 1577), ad regem autem Galliae Henricum II card. nepos Carolus Carafa. Nominatio facta fuit 10 IV 1556, cfr. Pastor SP VI, p. 384.

<sup>498</sup> In instructionibus "publicis" utrique legato datis sermo quidem erat de concilio, sed reapse in eis de rebus publicis imprimis tractabatur: de pace inter regnantes componenda, tanquam condicione convocandi concilii, quod praesertim in instructionibus secretis videri potest, in quibus de concilio ne mentio quidem ulla occurrit (cfr. ibidem, p. 384-385).

<sup>499</sup> Vide supra, N. 79-80, cfr. N. 83.

<sup>500</sup> Franciscus Corona, cfr. supra, N. 11.

<sup>501</sup> Tum etiam agebatur de proposito, ad effectum non perducto, reginulam Catharinam Erico Vasa (1533-1577), filio primogenito et heredi regis Sueciae Gustavi († 1560), in matrimonium collocandi, vide Cynarski, p. 170, cfr. supra, N. 74.

che'l futuro Re di Suetia<sup>b)</sup>, marito della detta sorella, debba restituire gli possessi et l'intrate a tutti gli Prelati, che ne sono stati privati in quel Regno et obligati di non impedire in futuro la loro auttorità et amministrazione, anzi, di favorirla sempre, et spetialmente [sic] l'Arcivescovo Upsalense<sup>502</sup>. Il che, oltre il servitio del Signor Dio benedetto et di Santa Chiesa, sarà particolar commodo anco della detta sorella, che, per quanto ci è riferito da persone pratiche in quei paesi, l'auttorità del Re di Suetia<sup>b)</sup> è molto guasta et diminuita doppo l'essere dispersi gli Prelati da questo Re presente; et quando tornino nella loro auttorità, saranno anco protettori dell'auttorità del Re, come sono stati per gli tempi passati. La volontà et desiderio di Sua Beatitudine è qual io scrivo a V.ra Signoria. Ma perché ella è più vicina di noi alla Suetia<sup>b)</sup> et potrà meglio essere informata come questo fatto stia, potrà procurare per quei modi ch'ella potrà meglio vedere; che noi non possiamo dirgli che il sopradetto pio desiderio di Sua Beatitudine se possibil c'habbia in tutto effetto. Il che non dovrebbe essere in tutto difficile s'è vero quel ch'è stato mostrato a Sua Beatitudine, ciò è che'l detto Re futuro sia molto ben inclinato alla verità et religione Cattolica.

V.ra Signoria haverà con questa le sue facultà et l'auttorità di poter ricevere i penitenti al gremio di Santa Chiesa<sup>503</sup>. Le quali se le sarebbono mandate molto prima, se non fusse nata qualche confusione in questi simili ispe-ditioni: prima per la natura, et poi per la cattura di Mons. Osio<sup>504</sup>.

[189v] Si manda anco un breve a V.ra Signoria, diretto al Vescovo Vladi-slaviense, et uno al Capitolo et Canonici di detta Chiesa, del tenore che V.ra Signoria vedrà per la copia che se le manda qui inclusa dell'uno et dell'altro<sup>505</sup>. Et perché Sua Beatitudine non può così far giuditio delle cose di quel Regno absente, come può far V.ra Signoria ch'è sul luogo, perciò Sua Santità, confidando molto nella prudenza sua, rimette a lei medesima il presentar detti brevi. Et vuole che, considerato bene il frutto et il danno che può nascere dal presentargli o dal non presentargli, V.ra Signoria vedrà per un breve diretto a lei medesima<sup>506</sup>. Si manda anco un breve similmente al Vescovo di

---

<sup>502</sup> Olaus Magnus (1490-1557), rerum gestarum scriptor et geographus Scandinaviae, ab a. 1534 Gedani in exilio vitam degens, ab a. 1541 Romae; a. 1544, post mortem fratris sui, Ioannis, aepi Upsaliensis, successor eius nominatus. Cum Polonis et rege Sigismundo Augusto assidua societate coniunctus (cfr. Wojtyska PP, p. 355 et passim).

<sup>503</sup> Facultates generales vide infra, N. 96. Facultas particularis apostatas in sinum Ecclesiae rursus recipiendi, ad nostros dies non est asservata.

<sup>504</sup> Vide supra, N. 83.

<sup>505</sup> Vide supra, N. 103.

<sup>506</sup> Vide ibidem.

Cracovia, ringratiandolo delle buone opere sue, come V.ra Signoria vedrà similmente per la copia di esso<sup>507</sup>.

Questi Giudici che haveano la causa del Sig. Ascanio et M[arco] Antonio Colonna sono proceduti alla privatione di feudi, ricercando così la giustitia, et gli hanno confiscati alla Camera Apostolica. E' poi piaciuto a Sua Beatitudine investir me di quelli stati con titolo di Duca di Palliano etc<sup>508</sup>. Il che sia per avviso a V.ra Signoria.

Mons. Ill.mo Carafa partì a XIX et Mons. Ill.mo di Pisa è partito hoggi<sup>509</sup>. Ch'è quanto m'occorre dire a V.ra Signoria. Alla quale mi offero et raccomandando, pregando il Sig. Dio che la consoli. Di Roma, a XXX di Maggio 1556.

il Duca di Palliano

a) *Evidenter omissum a scriba.*

b) *In copia erronee: Scotia*

c) *In copia: che la*

#### N. 94.

**Aloisius Lippomano**  
**Stanislao Hosio, epo Varmiensi**

Lovicii, 1 VI 1556.

*Refert de colloquio suo cum Martino Cromero facto, de visitatione episcopatum Maioris Poloniae, una cum archiepiscopo (Dzierzowski) peracta, et de consultationibus cum capitulis cathedralibus circa reformationem Ecclesiae in Polonia initis; de oboedientia a 9 regionibus Helvetiae papae praestita. Queritur de inertia in exsequendis mandatis regiis contra haereticos emanatis. Excusatur se, quod Valentinum Kuczboriski in obtinenda expectativa ad canonicatum Gnesnensem non adiuverit. Correctiones quasdam suggerit in eius Dialogum*

<sup>507</sup> Breve ad Andream Zebrzydowski, 29 V 1556 datum, servatum est in reg. AV, Arm. 44, ms. 2 f. 45r-v (ed. Raynaldus XIV, p. 597, cum dato erroneo: 21 V). Nil aliud continet quam laudes diligentiae eius et studii, de quibus Lippomanum ipsi scripsisse summus pontifex affirmat.

<sup>508</sup> Ascanius († 1557) eiusque filius Marcus Antonius (1535-1584) Columnae accusabantur de animo erga Sedem Apostolicam hostili et quod una cum inimicis eius (imperatore Carolo V) contra eam machinarentur. "Sententia privationis Paliani et aliarum terrarum" amborum "lecta fuit die Lunae 4 Maii 1556 in consistorio" (ex *Actis Consistorialibus* cit. Pastor SP VI, p. 385). Investitura Ioannis Carafa 10 V 1556 in Vaticano celebrabatur (ibidem. p. 385).

<sup>509</sup> Carolus Carafa et Scipio Rebiba (a 13 IV 1556 aepus Pisanus) profecti sunt ad explendas legationes, de quibus dictum est supra.

*inferendas. Nuntiat se effecisse, ut in bullam Iubilaei etiam orationes pro sedandis haeresibus includerentur.*

**Autogr.:** Gotha, FB, ms. Chart. A 381 f. 71r-72v. In f. 70v inscriptio et sigillum.

- **Ed.:** Cyprianus, p. 66-69 (sine postscripto).

- **Ed.:** Hipler-Zakrzewski HE II, p. 713-714.

Rev.me Domine, D.ne mi colendissime.

Et D.num Martinum Cromerum libenter vidi, et multa ab eo audivi, quae mihi non displicuerunt, praesertim de aliquali voluntatis regiae in nostra propensione, quae iam affulgere videtur, et Dominationis V.rae Rev.mae literas non minori iucunditate recepi<sup>510</sup>, multi enim dies effluxerant, in quibus nihil de ea audiveramus.

Mense integro Rev.mus D.nus Archiepiscopus et ego peregrinati sumus, omnes Ecclesias Cathedrales Regni<sup>a)</sup> maioris Poloniae visitavimus<sup>511</sup>, ubi multa invenimus, quae nec oculis nec auribus meis placuerunt. Omnia reformationem clamant. Sed quid de ea credam, nolo in praesenti sententiam meam aperire. Clamans iam raucus sum super hoc negotio<sup>512</sup>. Ex Urbe iam tot mensibus, quibus hic versor, nihil penitus habeo, nisi unicam licentiam abeundi<sup>513</sup>. Adhuc respondere mihi debent super primo colloquio cum Rege facto. Nescio quid mihi significant hac eorum taciturnitate. Ego tamen, quamdiu hic fuero, non cessabo ab officio meo, pro quo missus sum.

Cum Capitulis Ecclesiarum egimus super remediis huic pesti pullulanti adhibendis. Et fuit pene ab omnibus conclusum, quod si celebraretur generale Concilium, si fieret Ecclesiae reformatio, tam in capite quam in membris, si D.ni Episcopi officio suo intenderent, quod hactenus non fecerunt, nec faciunt, si provideretur de aliquo collegio pro pueris erudiendis, ne mitterentur ad studia Germanica, si duo ad minus Episcopi, boni viri et literati, semper in Curia essent, qui Regis lateribus adhaerent<sup>b)</sup>, si Rex hanc suam conniventiam et taciturnitatem [71v] iam a se exploderet, et magis Polonus quam Litanus esse vellet, facile hos omnes motus esse conquieturos. In his, quae mihi ex officio incumbunt, non permittam quin omnem lapidem moveam, modo praestare possim quae intendo, videlicet concilium et reformationem. Nam quid de Episcopis et collegiis sentiam, alias aperiam sententiam me-

<sup>510</sup> Non sunt repertae.

<sup>511</sup> Visitatio illa, diebus 29 IV - 17 V 1556 simul cum aeop Nicolao Dzierzowski facta, complectebatur dioeceses: Gnesnensem, Posnaniensem, Vladislaviensem et Plocensem (cfr. Wojtyska PP, p. 78). De modo, quo talis visitatio peragebatur, vide A. 21.

<sup>512</sup> Paraphrasis Ps. 68, 4.

<sup>513</sup> Cfr. supra, N. 87.

am. Adventum Regis etiam, quantum possum, urgeo et de Collegio Posnaniensi, iam fere destructo<sup>514</sup>, sollicito Maiestatem suam<sup>c</sup>. Quo autem fructu, adhuc non video.

Dominatio V.ra Rev.ma iam scit Helvetios pro maiori parte ad Ecclesiam rediisse et novem eorum regiones ex XIII obedientiam papae publice in Consistorio praestitisse<sup>d</sup><sup>515</sup>, ut iam Polonos pudeat, quo tempore aliae nationes ad matris gremium revertuntur, ab ea secessum quaerere. Vidi iussiones regias urgentissimas recentes, contra haereticos emanatas<sup>516</sup>, sed non video adhuc aliquid per eas praestari, nisi parumper terroris. Faciunt hi sicut aves, quae nidificant in tectis, nam si ab una domo repellantur, ad aliam vadunt, idque impune<sup>e</sup>. Regique Commissarii satis Regis iussionibus factum arbitrantur, si quod Pinzof fieri publice solebat, nunc ibi<sup>f</sup> fiat secreto, vel alibi.

Parcet mihi Dominatio V.ra Amplissima, si non operam meam praestiti apud<sup>g</sup> Rev.mum D.num Archiepiscopum super materia Canonicatus promissis<sup>517</sup>. Hac enim in re in conscientia mea scrupulum patior. Semper adversatus sum gratiis praeventivis, semper de illis tollendis et ab Ecclesia penitus eliminandis publice in Concilio proclamavi et per literas [72r] cum Romanis Pontificibus egi, tum quia per eas votum datur captandae mortis, tum quia sunt expresse a iure prohibitae C[anone] Ne captandae<sup>h</sup>, De concess[i]one praebendae<sup>518</sup>. Ideo ne in illam Apostoli sententiam<sup>i</sup> turpiter incurrerem, si quae destruxi, nunc aedifico, nonne me praevaricatorem constituo<sup>7</sup><sup>519</sup> Super sedi a negotio. Si aliis in rebus aliquid praestare possum Dominationi V.rae Rev.mae, iubeat mihi tanquam sibi ipsi, nam virtutibus eius et doctrinae omnia debeo. Utinam etiam in hoc Regno, tam apud clericos quam apud laicos, locum non haberent hae gratiae ad vacaturam. Nam iudicio meo contra<sup>f</sup> nos iram Dei procurant.

Vidi Dialogum Dominationis V.rae Rev.mae et totum perlegi. Ut est eruditissimus, ita quoque et verus et in omnibus eius partibus amplectendus<sup>520</sup>. Paucissima tamen quaedam sunt, super quibus ea considerare parumper

<sup>514</sup> Academia Lubransiana, ab epo Posnaniensi Ioanne Lubrański († 1520) a. 1518 condita, in magna tunc difficultate versabatur. Ideo a. 1564 epus Adamus Konarski conatus est eam in seminarium dioecesanum convertere.

<sup>515</sup> Consistorium hoc 5 III 1556 celebratum est. Oboedientiam praestiterunt "cinque Ambasciatori de' Svizzeri et uno de' Grisoni" (diarium Nicolai Coleino, BV, Chigi F.VI.146 f. 327r).

<sup>516</sup> Agitur procul dubio de exsequendis mandatis proscriptionis contra Stanislaum Lutomirski et Franciscum Lismanino emanatis, vide supra, N. 86.

<sup>517</sup> Agitur de expectativa ad canonicatum Gnesnensem, quam Hosius secretario suo Valentino Kuczorski ab aepe Nicolao Dzierzowski impetrare cupiebat, vide epistulam Stanislai Dąbrowski ad Hosium, Lovicii 16 VI 1556, Hipler-Zakrzewski HE II, p. 722.

<sup>518</sup> Cfr. *Liber Sextus Decretalium Bonifacii Papae VIII*, Lib. III, 7.3.

<sup>519</sup> Cfr. Galat. 2, 18.

<sup>520</sup> *Dialogus de eo, num calicem laicis et uxores sacerdotibus permitti ac divina officia vulgari lingua peragi fas sit*. Correctiones a Lippomano, Cromero et aliis propositae causa fuerunt, quod hoc Hosii opus non prius quam a. 1558 Dilingae in officina Sebaldi Mayer typis ederetur (hic utor exemplari in BV servato (Racc. I. V. 740).

dignabitur. Primum quod rusticum introducit, nihil de theologia profitentem, sed pauca quaedam a quodam concionatore, ut solent agriculatores, accepisse. Ast<sup>d)</sup> mox facit eum absolutum theologum et profundissima sapientiae mysteria aperientem<sup>521</sup>. Hoc non ita forte eius personae convenire videtur. Secundo inniti dicto Urbani Regii haeretici, quod Concilium Ephesinum statuerit laicos sub una specie communicandos, non mihi ita tutum videtur, cum nullus viventium, quod recorder, aut mortuorum scriptorum catholicorum hoc afferat, <sup>(k-</sup>et duo concilia, Constantiense et Basiliense, de hoc profecto mentionem fecissent-<sup>k)</sup><sup>522</sup>. Tertio bene ponderarem illam auctoritatem: Bibite ex eo omnes, num satius<sup>d)</sup> forte esset dicere, fuisse tantum impletam in solis Apostolis et eorum successoribus sacrificaturis, non autem dicere, laicis esse indifferens relictum<sup>523</sup>, propter aliquos respectus, qui nunc occurrunt. [72v] Quarto nescio an Nestorius tenuerit, sub specie panis solam Christi carnem, et sub specie <sup>(l-vini solum-<sup>l)</sup></sup> Christi sanguinem contineri. Hic libros non habeo, sed in Concilio, ubi haec materia satis fuit ventilata, nunquam memini hoc fuisse Nestorio obiectum, nec hanc illius fuisse sententiam<sup>524</sup>.

Quod autem Paulus tertius concesserit Bohemis utriusque speciei usum sub illa condicione, non credo verum, Rev.me Domine, etsi, dum agerem ego Legatum in Germania cum meo collega<sup>525</sup>, aliquid super hac re fuisset nobis iniunctum; erant fortasse sex conditiones appositae, quae effecerunt, ut nullus vellet utramque speciem sub illis accipere<sup>526</sup>. Nisi ergo Dominatio V.ra Rev.ma pro certo hoc habet de Bohemis a Paulo concessum, non dicerem. Et quando etiam pro certo haberet, iudicarem hoc tempore potius silentio involvendum, quam aperiendum<sup>527</sup>. Dominatio V.ra prudentissima est, dignabitur super his parumper cogitare. Dialogum ipsum his annexum habebit. Cui me etiam atque etiam commendo. Data fuit opera, ut cum publicatione praesen-

---

<sup>521</sup> Hosius tamen consilium Lippomani secutus non est. Tam in prima, quam in omnibus sequentibus editionibus *Dialogi*, propter claram imaginem symbolicam personarum, "colloquutores" remanserunt Arator et Harpagus.

<sup>522</sup> In editione a. 1558 Hosius locum hunc immutatum reliquit, annotans tantum eam rem certo demonstrari non posse, cum acta Concilii Ephesini integra asservata non sint, propterea necesse non videri confutare hac in parte testimonium unius ex primis fautoribus Lutheri, Urbani Regii (1489-1541), ex ignoto quodam fonte depromptum, qui "in suis locis communibus ita se rem habere confessus fuerit" (*Dialogus*, f. b2r-b3r. Cfr. Urbanus Regius, *Symboli christianae fidei... Huic accedunt loci aliquot communes, quorum est apud nos omnes nunc longe maximus usus, haud contemnendi*, [Haganae, 1527]).

<sup>523</sup> Locus hic in prima et posterioribus editionibus omissus est.

<sup>524</sup> Hunc locum Hosius in editione anni 1558 et sequentibus immutatum reliquit, vide *Dialogum*, f. b3v.

<sup>525</sup> Lippomanus nuntius extraordinarius in Germania nominatus fuit, una cum Sebastiano Pighino, epo Ferentino, 31 VIII 1548. Ex hac missione revertit medio mense Augusto 1550 a., cfr. Jedin GKT III, p. 207-211, Tacchella PEV, p. 14-20.

<sup>526</sup> Re vera in bullis continentibus facultates introducendi postulata imperatoris Caroli V, i. a. de permittendo laicis calice, ad usum nuntiorum latis, Paulus III condiciones tulit, quae executionem eorum reapse non permittebant (Jedin GKT III, p. 208).

<sup>527</sup> In posterioribus editionibus *Dialogi* nullam huius rei mentionem invenimus, quod consilio Lippomani obtemperare videtur.

tis Iubilei fieret etiam mentio de orationibus pro sedandis haeresibus facien-  
dis, sicut Dominatio V.ra Rev.ma pridem desideraverat<sup>528</sup>. Valeat in Domino.

Rev.mae Dominationis V.rae amicus et frater

Aloisius Lipomanus indignus Epus Veronensis, Nuncius Apostolicus,  
calamo volanti et manu propria

Lovicii, die prima Iunii MDLVI.

Litterae Dominationis V.rae Rev.mae, quas habuit D.nus Ioseph meus<sup>529</sup>,  
qui modo non adest, prima occasione Romam mittentur, nam hucusque non  
fuit nobis fidus nuncius.

- a) *Sequitur expunctum: vis*
- b) *Correctum ex: residerent*
- c) *Suprascriptum pro expuncto: Regiam*
- d) *Suprascriptum pro expuncto: reddidisse*
- e) *Sequitur expunctum: faciunt*
- f) *Adscriptum supra.*

- g) *Adscriptum supra unum verbum illegibile.*
- h) *Correctum ex: captae*
- i) *Sequitur expunctum: insur*
- j) *Adscriptum supra pro expuncto: Sed*
- k-k) *Additum inter lineas.*
- l-l) *Additum supra pro expuncto: sanguinis*

## N. 95.

**Andreas Sieprski, palatinus Ravensis**  
**Aloisio Lippomano**

Plociae, 2 VI 1556.

*Gratias agit pro gratulatione sibi facta de puniendis Iudaeis (Sochaczewiensibus), Ss.mi Sacramenti profanatoribus, et quod "ad instigandum" in hac causa nepotem suum et cancellarium mittere voluit. Petit, ut una cum archiepiscopo (Dzierzowski) reliquos huius sceleris reos puniri faciat et acta processus, quae annectit, secreta teneat.*

**Autogr. (?)**: AV, A.A. I-XVIII, ms. 4352 s.f. A tergo inscriptio, vestigium sigilli et alia manu: "Litterae D.ni Palatini Ravensis, qui Iudaeos Plotiae combussit".

<sup>528</sup> Ut eiusmodi orationes in bulla occasione Iubilaei de more edita ponerentur, Hosius suadente Cromero per litteras (ad tempus nostrum non servatas) nuntium rogabat, cfr. Cromerus ad Hosium, Vilnae 20 III 1556 (Hipler-Zakrzewski HE II, p. 690).

<sup>529</sup> Iosephus Cremonensis, theologus nuntii, cfr. A. 12.

Rev.me in Cristo Pater et Domine D.ne gratiosissime.

Quod literis V.ra Rev.ma Dominatio mihi gratulari dignata est, quod in negotio iniuriae Iesu Christi et crimine laesae Maiestatis divinae contra perfidos Iudeos huius nefandi patrati sceleris ita processum fecerim iusticiamque, prout meruerunt et iura patriae postularunt, cum illis fecerim, qui pro suis sceleribus debitas et iustas poenas reportaverunt<sup>530</sup>, feci hoc revera eo promptiori animo, quo et iniuriam Dei et levitatem atque irrisionem nominis christiani plus doluerim et quo ardentiorum erga Deum, Ecclesiam eius sanctam, fidem religionemque christianam affectum et desiderium habueram. Offenderunt enim hi perfidi Iudei et Maiestatem divinam Sacramentoque Corporis Domini, quod primum in Ecclesia Catholica Dominus noster nobis in cibum animae reliquit, maximum dedecus fecerunt, totique Ecclesiae christianae et nomini christiano leviter et ignominiose irrogaverunt et blasphemiam affecerunt.

Ago itaque et habeo Rev.mae Dominationi V.rae gratias maximas, quod nepotem suum et Cancellarium suum, viros non postremae condicionis, ad instigandum super hos perfidos Iudeos mittere dignata est<sup>531</sup>. Tales enim misit, quos primos in Curia illius esse non dubito. Inde enim ap[re]t amor, desiderium, cura diligenciaque Rev.mae Dominationis V.rae et iniuriam Iesu Christi defendere, quod pro religionis dedecore plurimum invigilarem. Quam rem Deus optimus Rev.mae Dominationi V.rae et hic et in gloria sua remunerabit.

Ceterum Rev.mam Dominationem V.ram obnixe rogo, dignetur V.ra Reverendissima Dominatio partes suas una cum Rev.mo D.no Archiepiscopo apud D.num Ser.mum Regem nostrum interponere, ut sua Maiestas literis autoritatis suae palatinos et capitaneos Regni sui [v] admonere, imo mandare dignaretur, ut ceteri perfidi Iudei, quicumque huius sceleris patrati reperti fuerint conscii, et quorum culpam condemnatorum Iudeorum confessis et fideliter conscriptis plene agnoscere dignabitur, suas dignas et iustas poenas

---

<sup>530</sup> Epistula Lippomani ad Andream Sieprski de Gulczewo (1494-1572, palatinum Ravensem ab a. 1542, capitaneum Plocensem ab a. 1554) non est reperta. Descriptionem totius casus vide in N. 101, circumstantias vero apud Wojtyńska PP, p. 82-83.

<sup>531</sup> Si hanc mentionem et posteriorem affirmationem Lippomani de missis suis (nepote et cancellario) et archiepiscopi ("quei dell'Arcivescovo", vide N. 100) conferamus cum diplomate notariali Nicolai Dzierzowski 20 VI concinnato, in quo instigatores nominantur: "Ludovicus utriusque iuris doctor" (cum spatio albo ad exarandum cognomen relicto) et Gottardus Paucki, canonicus Lanciencensis (AV, A.A. I-XVIII 4352 s.f.), coniecturam facere possumus nepotem illum fuisse Aloisium-Ludovicum iuniorem (cfr. supra, annotationem 373), qui idem esse possit ac Ludovicus, "theologiae et utriusque iuris doctor", quem inter familiares nuntii nominat cancellarius archiepiscopi, Stanislaus Dąbrowski (cfr. A. 12). Huiusmodi coniectura eo veri esse videtur similior, quod inter socios et familiares archiepiscopi nemo tunc fuit, qui nomine Ludovici appellaretur, nomine inquam, quod tempore illo in Polonia fere non usurpabatur. Ergo si ita se res habuisset, munere instigatorum, qui se tunc Plociam contularant, Aloisius-Ludovicus Lippomano, una cum cancellario (notario) nuntii, Francisco Varugola (cfr. A. 18), et Gottardus Paucki, nomine archiepiscopi, functi essent.



luant et persolvant. Istis tamen Regestris<sup>582</sup> perlectis, Rev.ma Dominatio V.ra ita illa servare dignetur, ut nullus hominum de illis sciat. Et tametsi de mente Regia nihil dubitandum est, quod sua Maiestas, ut Princeps catholicus, nihil praetermittere dignabitur, quin hi perfidi Iudei puniantur pro perpetrato scelere suo, tamen quia Dominus nos docet, quod pulsanti aperietur<sup>583</sup>, utilius videtur, ut res omnes firmiter procedent, quando aderit diligens exortacio Maiestatis Regiae et per Rev.mam Dominationem V.ram et per Rev.mum D.num Archiepiscopum. Et tandem me commendo gratiae Rev.mae Dominacionis V.rae, eandemque sanam et incolumem semper vivere cupio. Datum in Ploczko, tertia post Trinitatis, Anno D.ni 1556.

Eiusdem Rev.mae Paternitatis V.rae  
amicus et servitor

Andreas Sieprski a Gulczevo, palatinus  
Ravensis et Capitaneus Plocensis

#### N. 96.

**Facultates generales  
a Paulo IV, pontifice maximo,  
Aloisio Lippomano concessae**

Romae, 6 VI 1556.

*Munere nuntii apud regem Poloniae Sigismundum Augustum fungenti, in territoriis huic regi subiectis sequentes facultates concedit: in iudicium citandi, in omnibus instantiis iudicandi et iudices ad iudicandum quaslibet causas, etiam Sedi Apostolicae reservatas, delegandi; creandi tabelliones et duodecim comites palatinos, milites auratos et poetas laureatos; accipiendi et conferendi beneficia ecclesiastica et commendas regulares, etiam reservatas (exceptis in Curia Romana reservatis), quorum annui proventus valorem 200 ducatorum auri de Camera non excedunt; reservandi pensiones annuas super omnibus supernominatis beneficiis, tertiam partem eorum proventuum non excedentes, ratione eorum collationis, resignationis vel cessionis; dispensandi ab impedimentis matrimonialibus 3 et 4 consanguinitatis gradus necnon honestatis; absolvendi ab impedimentis defectus natalium et irregularitatis ad ordines sacros, et personis absolutis permittendi beneficia minora, dignitates et officia ecclesiastica accipe-*

<sup>582</sup> "Regestri malefactorum Iudeorum" Iosephi, Iacobi Socha et Iacobi Traidin, qui convicti et combusti sunt Plociae 1 VI 1556 a. (cfr. N. 101), servantur transcripti in actis notarialibus processuum in AV, A.A. I-XVIII 4352 s.f. (sub finem), vide fusius in notis ad N. 101.

<sup>583</sup> Cfr. Matth. 7, 8 et Luc. 11, 10.

*re; permittendi personis defectu corporali laborantibus ordinem presbyteratus suscipere, sacerdotibus altare portatile habere, nobilibus vero missas, ianuis clausis, in locis interdicto suppositis audire et confessarium sibi eligere, qui eos semel in vita a peccatis Sedi Apostolicae reservatis absolvere et vota ab eis emissa in alia pietatis opera commutare possit; impartendi 100 dierum indulgentias personis, quae missis a nuntio celebratis intersint; creandi duodecim acolythos capellanos et totidem notarios apostolicos; permittendi mulieribus ingredi monasteria et domos monialium, rectoribus ecclesiarum (graduatis) parochianos a peccatis ordinario reservatis absolvere, fidelibus autem lactinia et carnes temporibus prohibitis manducare; praestita iuramenta exsequendi et ab eis relaxandi; absolvendi a reatu periurii et poenas pro eo impositas abrogandi; absolvendi a peccato et a poenis ecclesiasticis eos, qui ordines sacros per saltum vel furtive susceperint, simoniae labem commiserint, manus violentas in clericum iniecerint, sacrilegium perpetrarint, habitum monachalem non portaverint vel ab ordine suo defecerint; absolvendi ab irregularitate et inhabilitate ad ordines sacros, praeterquam in casu homicidii et bigamiae; puniendi - invocando etiam auxilium brachii saecularis, absolvendi et a poenis relaxandi commissionum pontificalium falsarios, schismaticos, haereticos, usurarios et similes; visitandi et reformandi ecclesias, monasteria, universitates et alia pia loca, necnon eorum statuta confirmandi et emendandi; absolvendi eos, qui breviarium recitare omittunt; permittendi, ut bona ecclesiastica ad tempus permutari vel oppignerari possint; terminum exsequendi testamenta prorogandi; impartendi indulgentias "stationum Romanarum" eis, qui in aliis a se electis ecclesiis pro pace inter principes christianos oraverint et elemosinam in pios usus erogaverint; concedendi duobus vel tribus diebus festis 7 annos et totidem quadragenas indulgentiarum; absolvendi et a poenis relaxandi omnes, quibus nuntius supernominatas collationes, gratias et indulta concesserit. Non obstantibus litteris Sixti IV facultates nuntiorum abolentibus, necnon constitutionibus conciliorum, summorum pontificum, ecclesiarum, monasteriorum etc. Adiungit in litteris a nuntio conficiendis tenorem huius brevis inseri non debere, beneficiarios autem a nuntio beneficiis donatos 6 mensium spatium provisionem apostolicam consequi debere, si proventus beneficii eis collati valorem 24 ducatorum auri de Camera excedant, alioquin beneficium ipso facto vocaturum.*

**Or. membraneum:** Venezia, BQS, Classe I, ms. 28, n. 16. In dorso inscriptio: "Ven.li Fratri Aloysio Epo Veronensi, ad Char.mum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuntio", et subtus alia manu posteriore summarium et signatura antiqua: "Arm. 3, cotr. X".

**Min.:** AV, Arm. 42, ms. 7 f. 325r-330r (solum recto). In f. 330v: "6. Iunii 1556 anno 2<sup>o</sup>. Pro Aloysio Epo Veronensi, Nuntio ad Ser.mum Regem Poloniae, facultates etc. Cardinalis Puteus vidit".

## PAULUS PAPA III

Ven. lis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. Cum Nos dudum te, qui etiam Praelatus noster domesticus existis, ad Char. mum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, nostrum et Apostolicae Sedis Nuntium duxerimus destinandum, Nos, cupientes, ut erga personas Regni Poloniae huiusmodi ac quorumcunque Dominiorum et locorum eidem Sigismundo Augusto Regi subiectorum, ad quae te cum eo declinare contigerit, te possis reddere gratiosum, Fraternitati tuae, de qua in his et aliis maioribus plenam in Domino fiduciam obtinemus, matrimoniales et beneficiales ac alias ecclesiasticas, nec non spirituales et profanas causas quaslibet, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, tam primae instantiae, quam appellationum quarumcunque, a quibuscunque Iudicibus ordinariis, etiam per Nos ac Sedem praedictam seu illius etiam a Latere Legatos quoscunque delegatis pro tempore interpositarum, etiam summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, sola veritate inspecta, cum potestate citandi, et etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis, tuo vel tuorum delegatorum arbitrio moderandis, applicandis et exigendis, inhibendi et, prout iuris fuerit, sequestrandis et exequendi, etiam per edictum publicum, constituto summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, per te vel alium seu alios audiendi, cognoscendi et fine debito terminandi seu illas delegandi, ac etiam si per alium quam per nos aut alias auctoritate apostolica delegatae fuerint aut alias quomodocunque pendeant, cum tibi placuerit, ad te advocandi et aliis similiter committendi, ac adversus quascumque sententias et res iudicatas et contractus ac laesiones quascumque, personis praedictis restitutionem in integrum, prout iuris fuerit, concedendi.

Ac officium Tabellionatus quibuscunque personis idoneis, accepto ab eis in forma solita iuramento, concedendi illosque Tabelliones creandi et de notariatus officio investiendi<sup>a)</sup>.

Ac Comites palatinos duodecim<sup>584</sup>, Militesque auratos<sup>585</sup>, nec non Poetas laureatos<sup>586</sup> creandi<sup>b)</sup>. Et quod omnibus et singulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus et indultis, quibus alii Milites aurati, Poetae laureati et Comites palatini, per Nos et dictam Sedem creati et instituti<sup>c)</sup> utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gaudere poterunt

<sup>584</sup> De hac antiquissima dignitate personis saecularibus conferenda iam in facultatibus a. 1519 Zachariae Ferreri concessis mentio fit, vide Wojtyska ANP II, p. 20.

<sup>585</sup> Insigne hoc (Ordo Militiae Auratae), etsi ab aliquibus regibus iam medio aevo exeunte institutum sit, a pontificibus tamen Romanis non prius, quam initio saeculi XVI concedi coepisse videtur et deinde cum dignitate comitum palatinorum coniunctum fuisse putatur. A. 1841 Gregorius XVI in locum eius instituit insigne S. Silvestri.

<sup>586</sup> Mos antiquus, iam in Imperio Romano notus, aetate renaissance litterarum restitutus. Romae corona laurea in Capitolio redimiri poetis magno honore erat.

quomodolibet in futurum, sine illorum praeiudicio uti, potiri et gaudere libere et licite possint, indulgendi<sup>d)</sup>.

Ac quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium, et quorumvis Ordinum regularium, etiam dictae Sedi ex quavis causa, praeterquam ratione officialium Sedis praefatae et Romanae Curiae, officia sua actu exercentium, generaliter reservata fuerint, resignationes simpliciter vel ex causa permutationis, et commendatorum ac litigiosorum, tam in Curia quam extra eam, cessiones litis et causae ac iuris et commendarum, recipiendi et admittendi; ac causas desuper pendentes quo ad cedentes, advocandi, et lites huiusmodi penitus extinguendi; dictaque beneficia, tam simpliciter quam ex eadem causa, et etiam alia quaecunque et qualiacunque, infra limites dicti Regni ac Dominiorum et locorum praedictorum ubicunque consistentia, etiam per obitum pro tempore vacantia, etiam praeterquam ut supra, seu ratione vacationis illorum apud Sedem praefatam vel familiaritatis, continuae commensalitatibus nostrae seu alicuius Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis viventis, cuius consensus requirendus foret, generaliter reservata vel affecta, quorum singulorum beneficiorum huiusmodi fructus, redditus et proventus ducentorum ducatorum auri de Camera, secundum eiusdem Camerae extimationem, valorem annum non excedant, dummodo inter ipsa omnia per obitum vacantia ultra sexaginta reservata vel affecta non sint, personis idoneis, etiam quaecunque, quotcunque et qualiacunque, cum cura et sine cura, beneficia ecclesiastica, invicem tamen compatibilia, obtinentibus et expectantibus conferendi et regularia clericis saecularibus in commendam dari consueta, ad vitam vel ad tempus commendandi.

Ac super resignatorum vel alias dimissorum, ut praefertur, seu occasione resignationum et cessionum huiusmodi aliorum quorumcunque beneficiorum fructibus, redditibus et proventibus pensiones annuas, non tamen tertiam partem fructuum, reddituum et proventuum beneficiorum gravatorum excedentes, praedictis resignantibus vel cedentibus aut aliis personis idoneis, etiam quaecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, per resignantes et cedentes huiusmodi ad hoc tibi nominandis, quoad vixerint, per beneficia huiusmodi pro tempore obtinentes, annis singulis, in locis et terminis concordandis seu statuendis sub privationis et aliis sententiis, censuris et poenis, in talibus apponi solitis, persolvendas de consensu illorum, qui dictas pensiones persolvere habebunt, reservandi, constituendi et assignandi<sup>e)</sup>.

Et cum quibusvis personis in dictis Regno, Dominiis et locis constitutis, in quarto ac tertio insimul, vel quarto tantum<sup>d)</sup> consanguinitatis vel affinitatis gradibus coniunctis, et in quocunque impedimento publicae honestatis, aut cum iis, qui per adulterium se polluisent, dummodo in mortem defuncti coniugis quicquam machinati non fuerint, ut inter se matrimonialiter copulari ac in contractis et consumatis per eos matrimoniis, etiam scienter vel ignoranter eosdem contrahentes, ab huiusmodi excessu ac censuris et poenis,

quas propterea incurrerint, absolvendo, remanere possint, prolem susceptam et suscipiendam exinde legitimam decernendo.

Nec non cum quibusvis personis super quibuscunque natalium defectibus et irregularitatibus, quatenus aliqui censuris ecclesiasticis ligati missas et alia officia celebrando, aut alias illis se immiscendo quomodolibet, non tamen in contemptum clavium, contraxerint, ut ad omnes, etiam sacros et presbiteratus ordines, promoveri et in illis ac per eos susceptis ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, se invicem compatentia, etiam si dignitates, non tamen post pontificales maiores aut in Collegiatis Ecclesiis principales, personatus, administrationes vel officia in dictis Ecclesiis, et huiusmodi dignitates curatae vel electivae fuerint, si eis canonicè conferantur aut eligantur, praesententur vel alias assumantur ad illa et instituantur in eis, recipere et, quoad vixerint, retinere libere et licite valeant.

Necnon quibusvis personis, etiam defectum membrorum, etiam oculi (non tamen canonis) patientibus, dummodo non sit talis deformitas, quod ex ea scandalum in populo generetur, ut ad omnes, etiam sacros et presbiteratus ordines, ab eorum Ordinario, seu de ipsius consensu, a quocunque Antistite, gratiam et communionem dictae Sedis habente<sup>g)</sup>, promoveri possint; quodque in aetate legitima constituti et ratione beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum, ut ad omnes ordines praefatos, etiam de consensu suorum Ordinariorum, a quocumque maluerint catholico Antistite, gratiam et communionem dictae Sedis habente, promoveri, ut praefertur, libere et licite possint<sup>h)</sup>.

Necnon quibuslibet Nobilibus Presbiteris aut Graduatis, ut liceat eis habere altare portatile, cum debitis reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, etiam ecclesiastico interdicto auctoritate ordinaria suppositis, in sua et domesticorum, familiarium, continuorum commensalium suorum praesentia, sine iuris alieni praeiudicio, possint, etiam ante diem, dummodo circa diurnam lucem, celebrari facere<sup>i)</sup>.

Et etiam quibuslibet Nobilibus Regni, Dominiorum et locorum huiusmodi, ut tempore interdicti, dicta ordinaria auctoritate appositi, ianuis clausis, non pulsantibus campanis, submissa voce ac excommunicatis et interdictis exclusis, missas et alia divina officia audire illisque interesse valeant, dummodo ipsi causam non dederint interdicto, nec id contingat illis specialiter interdicti, nec per eos stet, quominus causa, propter quam interdicta huiusmodi apposita fuerint, tollantur et cessent.

Necnon eisdem personis, ut confessorem idoneum, qui eis, etiam in casibus Sedi praefatae reservatis, ut absolutionis beneficio semel in vita et in mortis articulo plenarie, iuxta formam in quinterno Cancellariae annotatam, provideat; et vota quaecunque per eos emissa: visitationis liminum beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Sancti Iacobi in Compostella, necnon ul-

tramarino et religionis ac castitatis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare possit, eligere valeant.

Ac cum te celebrare aut missae solenni interesse contigerit, interessentibus centum dies indulgentiarum largiendi.

Atque duodecim in nostros et dictae Sedis Accolitos Capellanos et totidem Notarios<sup>587</sup> creandi ac aliorum nostrorum et dictae Sedis Accolitorum Capellanorum et Notariorum numero et consortio favorabiliter aggregandi, ita quod omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, honoribus et indultis gaudeant et utantur, quibus alii nostri et dictae Sedis Accoliti Capellani et Notarii utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum<sup>j</sup>).

Ac quibusvis mulieribus honestis, ut quaecunque Monasteria et domos Monialium quarumcunque, etiam observantiae claustralis, exempta et non exempta, quomodocunque reclusa, cum tribus matronis, etiam honestis, de consensu earum, quae dictis Monasteriis et domibus praefuerint, dummodo ibidem non pernoctent, devotionis causa quater in anno ingredi valeant.

Ac Rectoribus parrochialium Ecclesiarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum curatorum, qui graduati fuerint, ut quoscumque parrochianos eorum utriusque sexus ab omnibus et singulis eorum peccatis et criminibus in casibus, in quibus Ordinarii locorum de iure vel consuetudine aut alias absolvere possunt, ac in illis, qui Sedi Apostolicae reservati non fuerint, absolvere valeant<sup>k</sup>).

Et in locis, in quibus usus olei non habetur temporibus a iure prohibitis, de alterius caseo, butyro et aliis lacticiniis ac, de utriusque medici consilio, carnibus vesci libere et licite uti valeant, indulgendi.

Nec non quaecunque iuramenta ad effectum agendi ac etiam simpliciter, ut tibi videbitur, dummodo alicui exinde praeiudicium non fiat, relaxandi.

Ac quoscumque, qui periurii reatum incurrerint, ab illo absolvendi ac ad priores honores, status et famam restituendi ac plenarie reintegrandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, praemissorum occasione contractam, penitus abolendi.

Ac quoscumque per saltum vel furtive ad aliquos sacros ordines promotos, ab excessu, quem propterea incurrerint, absolvendi, et ut ad reliquos ordines, ad quos promoti non essent, alias rite promoveri libere et licite possint, dispensandi.

Absolvendi quoque omnes et singulos, qui simoniae labem, tam in beneficiis per eos habitis, cuiuscunque qualitatis fuerint, quam ordinibus per eos susceptis contraxerint, ab illa et excommunicationis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, quas propterea incurrerint, et super irregularitate, si quam censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebrando seu alias se immiscendo contraxissent, dis-

<sup>587</sup> De utroque hoc genere dignitariorum pontificiorum vide Wojtyska ANP II, p. 20.

pensandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, similiter dicta occasione<sup>l)</sup> contractam, abolendi<sup>m)</sup>.

Ac quoscunque, qui in Clericos et Presbiteros, citra tamen membri mutilationem aut mortem, manus violentas temere inieciissent, ab excommunicationis sententia, quam propterea incurrerint, si hoc humiliter petierint; et etiam, qui tempore bellorum rapinas, sacrilegia, furta et alia mala perpetrarint, debita satisfactione praevia; et etiam quoscunque religiosos ordinum quorumcunque, qui ob sui habitus non delationem aut alias reatum apostasiae incurrissent, reassumpto sui religionis habitu et suis superioribus oboedire paratos, ab illa ac excommunicationis aliisque similibus censuris et poenis ecclesiasticis, quas propterea, etiam iuxta suorum ordinum regularia instituta incurrissent, absolvendi.

Ac super irregularitate quacunque, praeterquam homicidii voluntarii aut bigamiae, quovis modo contracta, ut ad omnes, etiam sacros, ordines, citra tamen altaris ministerium, et ad dignitates et beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, quaecunque, quotcunque et qualiacunque, se invicem compatentia, alias canonice conferenda, dispensandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, etiam inde contractam, penitus abolendi.

Ac contra quoscunque, tam ecclesiasticos quam laicos, literarum et supplicationum ac commissionum apostolicarum falsarios, scismaticos, haereticos, usurarios, raptores et aliorum quorumcunque criminum reos, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentes, procedendi et eos iuxta criminum et excessuum exigentiam, prout canonicae disponunt sanctiones, puniendi; contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo et, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocando, seu praemissa fieri faciendo; et si, ad cor reversi, suum errorem cognoverint et haereses suas detestati fuerint ac eas facta abiuratione publice vel secrete, prout tibi visum fuerit, abiuraverint, ac de praemissis doluerint, ipsique id humiliter postulaverint, eos, videlicet schismaticos et haereticos, prout tibi melius expedire visum fuerit, alios vero servata forma canonicarum sanctionum, a criminibus et excessibus ac sententiis, censuris et poenis huiusmodi, quas propterea incurrerint, absolvendi ac cum eis ad ordines, honores et dignitates ac etiam beneficia ecclesiastica quaecunque, quotcunque et qualiacunque, si tibi visum fuerit, dispensandi eosque in pristinum statum restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, per eos praemissorum occasione contractam, etiam penitus abolendi<sup>n)</sup>.

Ac quascunque Ecclesias, Monasteria, Domos, Universitates, Collegia et pia loca quaecunque, etiam exempta et praefatae Sedi immediate subiecta, per te visitandi, et quae ex eis correctione et emendatione, tam in spiritualibus quam in temporalibus indigere cognoveris, tam in capite quam in mem-

bris reformandi, prout secundum Deum et canonicas sanctiones ac regularia suorum ordinum instituta noveris expedire.

Ac quaecunque statuta et ordinationes Ecclesiarum, Universitatum, etiam Studiorum Generalium, Monasteriorum, Ordinum et Conventuum, quae tamen libertatem ecclesiasticam non confundant aut illi derogent vel repug[n]ent, confirmandi et approbandi, supplendique omnes et singulos defectus, si qui forsitan intervenissent in eisdem, illaque, si tibi videbitur expedire, moderandi, corrigendi, addendi et reformandi in melius, iuxta illorum exigentiam<sup>o</sup>).

Atque eos, qui horas canonicas, prout tenebuntur, dicere et recitare omiserint, iniuncta inde eis salutari poenitentia, absolvendi.

Ac omnibus personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, ut bona immobilia Ecclesiarum, Monasteriorum et beneficiorum suorum in evidentem illorum utilitatem permutare et ad tempus (non tamen longum) locare et concedere valeant, concedendi.

Necnon tempus praefixum executoribus ultimarum voluntatum ad illas exequendum, semel tantum prorogandi.

Ac quibusvis personis, ut quadragesimalibus et aliis diebus et temporibus, stationum almae Urbis nostrae visitando unam vel duas ecclesias, seu duo aut plura altaria unius vel plurium Ecclesiarum, civitatum seu locorum, in quibus stationes petentes moram trahere contigerit, quae duxerint eligenda, et pro pace inter Principes Christianos concilianda et conservanda oraverint ac aliquam elemosinam in pios usus erogaverint, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, quas visitantes singulas dictae Urbis et extra eam existentes Ecclesias, saeculares vel regulares, pro stationibus Urbis deputatas, consequuntur et consequi possunt, consequantur et consequi valeant, concedendi.

Ac etiam in duabus vel tribus festivitibus duntaxat septem annos et totidem quadragenas, vel infra dictum tempus illud, quod tibi videbitur, de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxandi.

Ac omnes et singulos, quibus gratias et indulta huiusmodi, iuxta facultatem tibi concessam, concesseris, seu erga quos huiusmodi facultatibus uteris, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati erunt, ad effectum gratiarum huiusmodi et litterarum tuarum desuper conficiendarum duntaxat consequendum, absolvendi.

Necnon omnia et singula, quae circa praemissa necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna, faciendi, mandandi, ordinandi et decernendi, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus facultatem, decernentes te omnibus et singulis facultatibus praedictis in Regno, Dominiis et locis praedictis et aliis, ad quae eundem Sigismundum Augustum Regem declinare et morari contigerit, et cum personis illorum, libere uti posse.



Non obstantibus litteris felicis recordationis Sixti papae IIII, praedecessoris nostri, quibus inter alia cavetur expresse, quod Nuntii Sedis praedictae, pro tempore deputati, etiam cum potestate legati de latere, eorum facultate, tam ad beneficia conferenda quam dispensationes et alias gratias per eos concedendas, uti non possint, et quaevis clausulae in facultatibus Nuntiorum huiusmodi appositae adversus dictas litteras cuiquam nullatenus suffragentur<sup>588</sup>, necnon defectibus praedictis, et de unionibus committendis ad partes, necnon Viennensis, Pictaviensis et generalis Conciliorum et alii constitutionibus et ordinationibus apostolicis<sup>589</sup>, necnon Cancellariae Apostolicae regulis et Ecclesiarum, Monasteriorum et Ordinum quorumcunque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis ac litteris apostolicis, per Sedem praedictam et eius legatos Ordinibus et Monasteriis concessis, caeterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, quod in litteris super gratiis, vigore praesentium quibusvis personis per te faciendis, conficiendis, tenorem earundem praesentium inserere minime tenearis, quodque illis eadem fides adhibeatur ac si praesentium tenor de verbo ad verbum insertus foret; ac quod ii, quibus tu aliqua beneficia ecclesiastica vigore praesentium contuleris, infra sex menses a die factarum eis collationum, novas provisiones super eisdem beneficiis, si eorum singulorum fructus, redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera, secundum communem estimationem valorem annum excesserint, a dicta Sede impetrare et litteras superinde in totum expedire, ac iura Camerae Apostolicae et aliis propterea debita persolvere omnino teneantur, alioquin, lapsis eisdem sex mensibus, beneficia ipsa eo ipso vacent et vacare censeantur, possintque a nobis et dicta Sede libere impetrari, nisi ipsis petentibus huiusmodi novas provisiones et protestantibus, quod per eos non stet, contigerit illas eis denegari. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VI Iunii M.D.LVI, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

(P-Io[annes] Barengus-P)

a) *In minuta sequitur locus erasus de facultate legitimandi filios naturales, bastardos etc. (cfr. Wojtyška ANP II, p. 24).*

b) *In min. sequitur erasa facultas personas idoneas ad doctoratum in utroque iure, et magisterium in theologia, artibus et medicina promovendi (cfr. ibidem, p. 20).*

c) *In min. sequitur locus erasus ad supranominatas promotiones doctorales pertinens.*

d) *In min. sequitur amplior locus erasus de facultate conferendi beneficia habentibus gradus universitatum studiorum.*

e) *In min. sequitur erasus locus de facultate dispensandi super servandis statutis in praefatis beneficiis obligantibus.*

<sup>588</sup> Hanc constitutionem Sixti IV (1471-1484) reperire non potui. Tacent de ea etiam auctores operum, de facultatibus nuntiorum tractantes (cfr. Mergentheim I, p. 230).

<sup>589</sup> Agitur de dispositionibus concilii oecumenici Viennensis (a. 1311), necnon celebris synodi provincialis Pictaviensis, a. 1100 celebratae, quae multa decreta ad disciplinam cleri spectantia edidit.

- f) *In min. sequitur erasum: et in tertio simplici usque ad numerum viginti, etiam iam copulatis*
- g) *In min. sequitur erasum: etiam extra tempora a iure statuta, dummodo aliquibus tribus diebus dominicis aut festivis id fiat, correctum in margine et iterum erasum.*
- h) *In min. sequitur locus erasus de dispensatione ad tempus concedenda super suscipiendis ordinibus sacris a beneficiatis, qui studiis se dederunt.*
- i) *In min. sequitur locus erasus de facultate permittendi clericis, ut de bonis suis testari valeat.*
- j) *In min. sequitur erasa facultas permittendi fundationem monasteriorum et ecclesiarum cum reservatis oneribus et iure patronatus.*
- k) *In min. sequitur erasa facultas permittendi peregrinationes in Terram Sanctam.*
- l) *In min. sequitur locus erasus de suspendenda hac in parte constitutione Ioannis XXII "Execrabilis" (cfr. Wojtyška ANP II, p. 26).*
- m) *In min. sequitur erasa facultas conferendi supranominatis personis beneficia ecclesiastica.*
- n) *In min. sequitur erasa facultas de compositione et condonatione usurpatoribus super male ablatiis.*
- o) *In min. sequitur erasum: cum ecclesiasticis saecularibus, ut leges audire, ad quinquagesimum tantum, et in eis gradus consuetos suscipere, et cum regularibus, ut ubique locorum verbum Dei praedicare libere et licite valeant, dispensare.*
- p) *Autographum. In min. solum Jo et iuxta alia manu: Ja[cobus] Car[dinalis] Puteus (cfr. notam de origine scripti tractantem in hoc documento).*

## N. 97.

**Ioannes Przerembski, vicedancellarius regni  
Aloisio Lippomano**

Meiszagolae, 8 VI 1556.

*Mandatu regis, cum eo colloqui cupientis, rogat, ut saltem ad eiusdem regis Varsaviam adventum, id est usque ad 14 IX, in Polonia remaneat. Nuntiat se, quamvis ad obtinendam coadiutoriam Gnesnensem consensum primatis (Dzierzowski) et regis iam consecutus sit, Romam de hac re scripturum non esse, donec negotium religionis in Polonia quodammodo componatur. Significat merita sua de religione catholica defendenda et queritur de lite sibi in Rota Romana a Ioanne Dębnicki, propter beneficium quod obtinet, intenta.*

**Cop. coeva:** Milano, BA, ms. D 175 inf., f. 181v-182r (non accessibilis).

**Cop. saec. XVI:** Roma, APUG, ms. 588 f. 190r-192r.

- **Ed.:** Rykaczewski I, p. 57-58.

**Cop. XVII saec.:** Venezia, BM, Ms. It. V 16 (5668) f. 323v-324v.

**Cop. XVII saec.:** AV, Borghese I 825-827 f. 68r-70v (sine postscripto, datum 7 VI 1556).

Rev.mo D.no in Christo, Patri D.no Aloysio Lippomano,  
 Dei gratia Epo Veronensi et a Ss.mo Domino Nostro in Poloniam Legato,  
 Domino observandissimo etc.

[190v] Rev.me et Ill.me Domine D.ne Colendissime.

Etsi non dubito Rev.mam Dominationem V.ram non prius ex Polonia discessuram esse quam Maiestati Regiae vale dixerit, tamen cum ad nos perfecturatur datam esse Rev.mae Dominationi V.rae a Ss.mo Domino Nostro discedendi facultatem, non ignorem autem Maiestatem Regiam magno teneri desiderio colloquendi cum Rev.ma Dominatione V.ra priusquam ex Regno profisciscatur, petendum a Rev.ma Dominatione V.ra putavi, si quid constituti habeat de reditu suo in Italiam, ut ne prius discedat quam cum Maiestate Regia praesens collocuta erit, [quae] ad XXIII Augusti Regnum ingrediatur, Varsch[oviam] vero ad XIII Septembris perveniet. Ita quod, si iter in Italiam Rev.ma Dominatio V.ra voluerit suscipere, commodo adhuc tempore anni perficere illud poterit, mora autem haec exigua poterit multum Religioni in hoc Regno merite mederi. [191r] Neque enim puto sine causa Maiestatem Regiam Rev.mae Dominationis V.rae colloquium expetere. Fortassis adhuc Dominus miserebitur nostri et non dabit Regnum hoc in perditionem. Quod si Rev.ma Dominatio V.ra discedit nulla re constituta, praestiterat illam non venisse in Regnum hoc, nam et qui sunt catholici, pro derelictis a Sancta Sede habebuntur et haereticis crescent animi.

Itaque, quamvis Rev.mus D.nus Archiepiscopus<sup>590</sup> miserit iam mihi instrumentum Coadiutoriae et Regia Maiestas consenserit<sup>591</sup>, tamen deliberravi non prius Romam mittere ea de re, quam in Poloniam veniamus, ubi spero finem aliquem contentionibus istis de Religione futurum. Qui si erit eiusmodi, ut Catholicam retineamus, non refragabor Dei voluntati. [191v] Quod si res ad novationem tendere videbitur, nolo ibi esse Archiepiscopus, ubi non Dei, sed malignantium Ecclesia erit. Potiusque victum quaeram manibus, quam dives et honoratus in haeretico Regno vivam. Quantum laboris in retinenda veteri Religione subeam, ex aliis id malim Rev.ma Dominatio V.ra cognoscat. Iamque haeretici conspirare in me dicuntur, propterea quod Lismanium [sic] proscribendum curaverim. Sed certam in Domino fiduciam collocavi, quod terrores isti et minae animum mihi addent etiam, ut alacrius pro Ecclesia Dei decertem, etiamsi omnia perpetienda mihi essent extrema.

Interea autem Romae in iudiciis a quodam levi homine versor, qui causam contra me commisit de Sacerdotio iurispatronatus laicorum. Tales [192r] nebulones magnum odium Sanctae Sedi in Regno hoc conflaverunt, ut et Catholici Senatores propugnationem eius non libenter suscipiant. Me ta-

<sup>590</sup> Nicolaus Dzierzowski.

<sup>591</sup> Cfr. supra, N. 71.

men nulla iniuria ab officio deducet. Commendo obsequia mea Rev.mae Dominationi V.rae eique omnia felicia a Deo precor. Ex Misogola<sup>592</sup>, VIII Iunii M.D.LVI°.

Rev.mae et Ill.mae Paternitatis V.rae

Dembniczki vocatur iste, qui mihi Romae negotium facessit, homo litigiosissimus, qui ea de causa semel etiam proscriptus fuit, meoque studio restitutus<sup>593</sup>.

humilis Sacellanus et Servus  
Ioannes Przerempki [sic]Vicecancellarius

#### N. 98.

### Capitulorum Cathedralium Maioris Poloniae et Masoviae responsum ad quaesita ipsis ab Aloisio Lippomano proposita

S.l., [ca. 15 VI 1556].

*Ad interrogationes sibi propositas respondententes, primum summo pontifici gratias agunt, quod reformationem Ecclesiae perficere constituerit eumque in Poloniam miserit, deinde enumerant causas haereseon in Republica saevientium, quae sunt: 1) negligentia pastorum: a) summorum pontificum, qui nullum hactenus legatum vel nuntium suum in Polonia permanentem habuerint, neque diligentiam adhibuerint, ut Concilium Tridentinum ad felicem exitum perduceretur, nimis multa privilegia regibus concesserit Ecclesiae perniciose et beneficia Polona multis factiosis in Curia Romana degentibus conferre consueverit; b) episcoporum Polonorum, qui variis oneribus subditos opprimunt et nil aliud cogitant, quam ut ad lucrosiores episcopatus promoveantur, propterea tacent, in comprimendis haereticis nullam adhibent diligentiam, curam animarum neglegunt, nepotes cognatosque fovent; reliquorum ecclesiasticorum, qui indignam et ignorantem vitam vivunt; 2) inveteratum saecularium in ecclesiasticos odium et rerum divinarum investigatio, cui iidem saeculares nimis indulgent; 3) regis erga haereticos conniventia, quos nimia liberalitate ad dignitates et honores evehit; 4) studia iuventutis in Germania et mos libros haereticos ex exteris regionibus inducendi; 5) episcoporum a iudiciis regiis absentia.*

<sup>592</sup> Maišiagala (Polonice Mejszagola), oppidum 28 km septemtrionem versus a Vilna distans.

<sup>593</sup> Ioannes Dębnicki, procurator episcoporum Polonorum in Curia Romana. A. 1550 Sigismundus Augustus, propter machinationes quasdam et clandestina consilia, quae coquebat, eum exsilio damnavit et Romae etiam postulavit, ut rite puniretur; 31 VIII 1552 decretum proscriptionis in eum latum revocatum est, vide Wojtyńska PP, p. 316, 329, 332, 421, cfr. infra, N. 100.

*Huiusmodi rerum status remedia indicant, quae sunt: 1) stabilis nuntiatu-  
ra in Polonia instituenda, concilii oecumenici continuatio, ademptio privilegii  
regibus concessi nominandi episcopos, beneficiorum Polonorum non nisi dignis  
a Sede Apostolica collatio; 2) emendatio vitae episcoporum, inducto examine de  
vita et moribus nominatorum ad episcopatus, et adactio episcoporum ad an-  
nuales dioecesium visitationes, synodorum celebrationem, accuratiorem concio-  
num et librorum inspectionem et exquisitionem, ac vitae cleri parochialis et vi-  
tae ac morum suorum solidam reformationem; 3) iuris eligendi episcopos capi-  
tulis cathedralibus restitutio; 4) studiorum theologicorum prohibitio saecula-  
ribus infligenda; 5) instantia apud regem adhibenda, ne conventus haereticorum  
toleret, nullam societatem cum illis habeat, nullas dignitates et officia eis  
conferat, neve Ioanni Łaski, Calvino, Melanchthoni aliisque ingressum in Po-  
loniam permittat et ut leges contra haereticos latas exsequatur; quod si nihil  
profuerit, episcopi sollemnem protestationem publice in senatu faciant, ad ulti-  
mum summus pontifex regem severe admoneat et reprehendat. Ipsi demum au-  
xilium suum in peragenda reformatione offerunt et intercessionem expetunt, ut  
ad iuventutem a studiis in Germania abstrahendam - Academia Lubransciana  
et scholae cathedrales instaurentur et duo saltem episcopi continenter penes re-  
gem resideant, reliqui vero comitiis particularibus nobilium ordinatim inter-  
sint.*

**Cop. coaeva:** Milano, BA, ms. D. 175 inf., f. 165v-170v (non accessibile). Final-  
lem formam huic documento imposuit ipse Lippomanus prima parte mensis  
Iunii a. 1556, nixus opinionibus a singulis capitulis sibi perscriptis (servata  
sunt solummodo summarium responsi capituli Gnesnensis et integrum re-  
sponsum capituli Plocensis, utrumque editum a Wierzbowski U II, p. 53-56)  
tempore visitationis diebus 29 IV - 17 V 1556 peractae (v. infra N. 100, cfr.  
supra N. 94 et A. 21); in hac forma scriptum hoc una cum litteris 21 VI 1556  
datis Paulo IV a nuntio transmissum erat (v. N. 100). Praeter haec exsiste-  
bat etiam responsum capituli Cracoviensis, lectum et correctum in sessione  
die 5 VI 1556 Cracoviae celebrata, cuius tamen tenorem ignoramus, cum in  
Acta Actorum capituli inscriptum non sit (cfr. Bukowski II, p. 359).

**Cop. XVI saec.:** Roma, APUG, ms. 588 f. 168r-186v.

- **Ed.:** Rykaczewski I, p. 45-54.

- **Cop. XVII saec.:** Venezia, BM, Ms. It. V 16 (5668) f. 310r-319v.

**Cop. XVII saec.:** AV, F. Borghese I 825-827 f. 40r-60r (valde mendosa).

**Ed.:** Martène-Durand VIII, col. 1451-1460 (origine scripti non adnotata).

- **Reed.:** Mansi V, col. 709-718.

### Responsiones

Rev. morum D. norum Praelatorum, Canonorum et Capitulum  
Cathedralium Gnesnensis, Posnaniensis, Vladislaviensis et Plocensis  
Ecclesiarum Regni Maioris Poloniae, ad consultationem Rev. mi D. ni Nuntii  
in negotio fidei summatim collectae

Ea, quae per Ill.mam Dominationem V.ram Ss.mi Domini Nostri nomine nobis sapientissime sunt proposita atque ad exhortationem et consolationem [168v] nostram adducta<sup>594</sup>, gratissimo excipimus animo, ut quae non obscure testantur piam et praeclaram voluntatem Sanctitatis Suae erga Religionem Christianam, letali quadam temporum calamitate, non solum apud nos, sed etiam apud alias vicinas nobis nationes graviter perturbatam. Plurimum igitur hanc optimam Sanctitatis Suae mentem, universali Pastore dignissimam, collaudamus et cum omni alacritate atque devotione complectimur, eidemque quam maximas possumus gratias habemus pro tanta illius erga nos humanitate, quod non solum Sanctitas sua piam curam et sollicitudinem de nobis suscipere, sed etiam ad salutandam et invisendam humilitatem nostram per Ill.mam Dominationem V.ram, dignissimum [169r] suum Legatum, se dimittere sit dignata. Praecamur vero, nos indigni Sanctitatis Suae Sacellani et exoratores, ut Deus Optimus Maximus conatus istos Sanctitatis Suae, pro restauranda Religione Christiana susceptos, feliciter dirigat atque gubernet, atque Sanctitatem Suam diutissime servet incolumem.

Satisfacere igitur, ut par est, volentes mandatis Rev.mae Dominationis V.rae, ea, quae ex mutuis colloquiis ac deliberationibus praehabitis consequi nobis datum est, non celamus, imo libere et alacriter coram Rev.ma Dominatione V.ra declaramus, adducti in eam spem, ut morbi huiusmodi causis detectis et plane cognitis, facilius in pristinum statum hoc [42r] Regnum reduci valeat, Tua Amplitudine, prudentissimo medico, mediante.

Primam igitur haereseos in hoc Regno introductae causam esse negligentiam Pastorum et Praelatorum [169v] ovilis Christi dicimus, inter quos, ut principem locum obtinet Apostolica Sedes, ita timemus, ne mali huius quoque, parcat nobis, illa aliquatenus causa sit, quatuor praesertim rationibus: Primo, quod a triginta et amplius annis, quo coeptum est hoc malum, Romani Pontifices, qui pro tempore fuerunt, excepta Sanctitate Sua, cui Deus longissimam vitam concedat, nullum vel Legatum vel Nuntium ad hoc Regnum miserunt, qui apud Reges instanter sollicitaret, ut iuxta paternas leges, temerarios hos ausus comprimerent et Ecclesiae defensores existerent.

Secundo, quia etsi generale Concilium Tridenti indictum fuerit, non tamen ea sit diligentia adhibita, ut felicem cursum haberet, sed semper aliquibus et levioribus occasionibus coeptum intermitteretur; quod ipsum [170r] forte non tam Apostolicae Sedis, quam Christianorum Principum culpa factum asserere possumus, mutuis inter se odiis, dissidiis et bellis contendentium.

Tertio, propter multa privilegia Regibus et Imperatoribus a diversis Romanis Pontificibus contra Ecclesiarum libertates et immunitates concessa, per quae ipsi redditi sunt insolentiores et aliquando negligentiores ad Chri-

---

<sup>594</sup> Agitur de articulis canonicis ad deliberandum propositis, qui ad dies nostros non sunt asservati (cfr. A. 21), excepto summariorum illorum, qui capitulo Cracoviensi porrecti sunt (cfr. Bukowski II, p. 358).

stianam fidem tuendam et defendendam, cum totum contrarium agere debuissent, prout de iure tenentur.

Quarto denique, propter beneficiorum aliquantisper absurdas provisiones. Nam dum degentibus in Romana Curia quibusdam, seu potius beneficia expiscantibus, Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum et Parochiales Ecclesiae Regni nostri conferuntur a Sede Apostolica, de huiusmodi [170v] beneficiis quandoque mercimonia et nundinationes, ne quid obscenius dicatur, a provisus fiunt. Qua re nulla posset esse ipsis Ecclesiis infaustior et deterior, prout Dominatio V.ra Amplissima perpendere potest.

Secundo loco est negligentia Rev.morum Episcoporum nostrorum, quae prorsus et magna fuit et est magnae ruinae causa. Cum enim triplici gaudeant potestate: episcopali, senatoria et temporali, nulla harum, proh dolor, bene usi quidam fuisse videntur. Missas facimus hic duras exactiones et depactationes et grave prorsus pondus, quod subditis suis imponunt et faciunt, Dominicis etiam ac festis diebus eos laborare cogendo, ita ut parum eis videatur si Nobilibus hac in re pares sint, nisi etiam superent illos multis nominibus. Sed etiam [171r] non omittendum, quod in admonenda et manutenenda Regia Maiestate in pristina fide, ipsi Rev.mi D.ni Episcopi et iidem primarii Senatores non eam, quam debebant et poterant, fecerunt diligentiam. Idque ideo quia ascensiones in corde suo meditantur<sup>595</sup> semper, sed non in montem Dei Iacob. Expediret Reipublicae nostrae, ut non tam crebrae translationes fierent Episcoporum. Nam horum expectatio efficit, ut imposito digito ori suo, loqui pro domo Dei nolint vel non audeant<sup>596</sup>. Adversus haereticos concionatores et sectatores processum est procediturque negligentissime, ut quidam eos in Curiis suis et suos familiares habeant, illis defensores concilient. Excommunicationis [171v] tanta vis est, ut cum excommunicatis aliis conversari sit religio, illis fautores et commensales sint. Et breviter, tam bene ac libenter contra haereticos et alios contumaces episcopali utuntur potestate, ut libentius ea carerent et facile eam sibi suspendi patiantur. Quod iam in aliquot comitiis generalibus factum fuisse videmus<sup>597</sup>. Imo et Summi Pontificis auctoritati plurimum detrahi patiuntur, nescimus autem si non etiam procurant proscriptionibus, bannitionibus, toties factis contra eos, qui ad Romanam Sedem in causis recurrunt. Quidam etiam eorum coram Nobilitate dixisse auditus est: Credat, inquit, quisque ut vult, modo redditus mei integri sint. Libri haereticorum nemine prohibente imprimuntur, distrahuntur in Regno, ut iam pene totum pretium ad lucrum Bibliopolarum sit [172r] ex eorum venditione.

In defendendis Ecclesiae iuribus et personarum eius quanta sit remissio, palam testantur rapti proventus earum; vacuae ministris aliae plusquam

<sup>595</sup> Cfr. Ps. 83, 6.

<sup>596</sup> Paraphrasis Iudic. 18, 19.

<sup>597</sup> Alludit ad suspensionem iurisdictionis episcoporum in haereticos, a comitiis Petricoviensibus a. 1555 decretam, vide A. 3.

sexaginta in variis Episcopatibus, aliae prorsus spoliatae; pulsi locis suis Sacerdotes et ex arbitrio haereticorum alii constituti. Collationes etiam Rev.morum D.norum Episcoporum non carent labe sua, nam plurima hic ratio sanguinis et servitutis habetur, eruditionis autem et honestatis vitae parva admodum. Unde et parum religiosi et parum utiles, ut pote pueri, Ecclesiis praeficiuntur. Et plerique tales vel taliter et hoc respectu promoti, nec orant, nec vestiuntur clericorum habitu. Cancellarii doctique viri non ser-[172v]vantur Ecclesiis. Minime resident, sed huc illucque semper vagantur, et lupis liber sit aditus ad Caulas Domini, quodocunque voluerint invadendas. Multa alia dici possent, sed quae ex his facilius colligi possint [...].

Sed cum tam multa de negligentia Rev.morum D.norum Episcoporum diximus, nunquid hi tantum in hac parte culpabiles? Imo et innumeri alii. Nos enim omnes, inquam, et in ordine ecclesiastico ac religioso omni magnam esse videmus morum deturpationem. Nam luxu, pompa, avaritia, libidinibus otioque et negligentia omnia repleta videmus. Et, quod omnibus deterius videtur, in Sacerdotibus Legis Dei ignorantia, quam qui [173r] Iudeorum Sacerdotes a se reppulerunt, et Deum se eos repulsurum, ne Sacerdotio illi fungantur, per Prophetam minatur<sup>598</sup>.

Praeterea crescit perpetuo inveteratum odium Saecularium in Clerum. Quod tamen nunquam intermittitur, etiamsi esset compositissimum vita et moribus Clerus. Item accedit ad haec maxima cupiditas saecularium, qui inhiant bonis nostris, ita quod non alium praetextum mutandae religionis forsitan habent, quam ut ecclesiastica bona occupent.

Diuturna etiam pax civilis mali et errorum domesticorum praebet occasionem, ita cum militaris ordo sine exercitio sit bellici studii, arma proiecerunt militaria et libros sine iudicio tractare [173v] coeperunt, unde multae haereses in diem augentur.

Postremo Regiae Maiestatis facilitas et conniventia, quodque omnibus indifferenter, tam haereticis quam Christianis, gratiam regiam liberalitatemque et munificentiam exhibere ac honoribus, citra delectum, insignire omnes dignatur, praesertim haereticos, quod tamen Regni legibus expresse est prohibitum.

Educatio etiam iuventutis in studiis Germanicis et commertia haereticorum, nec non licentia imprimendi libros plurimos infecit et haereses invexit. Et hae sunt causae istorum omnium malorum.

Sed et absentia D.norum Episcoporum a Iudiciis Regiis, quando Rex in Comitibus praesidet, multum incommodi affert, vel [174r] potius multis commodis Rempublicam defraudat, propterea quod per ignaviam videntur se subducere ab administratione iustitiae et a patrocinio miserabilium personarum. Sed et ecclesiasticae personae miserabiliter illic a prophanis rabulis opprimuntur, patronis earum nihil id ad se pertinere putantibus.

---

<sup>598</sup> Cfr. Osee 4, 6.



Hucusque magno cum animi nostri dolore morborum et vulnerum nostrorum causas retexuimus. Quibus autem rationibus hoc malum sistendum esset, ex Provincia explodendum, facile occurrit, quod contrariis omnibus, siquidem contraria contrariis curantur, ut in medicinali proverbio dicitur.

Primum igitur remedium esse videretur, quod Sancta Apostolica Sedes hoc in Regno, sicut et apud alios Principes facit, Nuntium continue haberet vel Legatum, virum doctum, [174v] bonum et Deum timentem, rerum gerendarum scientia peritum, qui familiam haberet exemplarem, qui munera non diligeret, qui forti et masculo esset animo, et in Curia resideret, semperque Regis lateri adhaereret atque eum officii sui admoneret. Hic Catholicam fidem atque libertatem ecclesiasticam tueretur et Sedis Apostolicae oboedientiam et reverentiam in Regno conservaret, et ad eum, tanquam ad asillum, viri boni semper pro iusto patrocinio confugere possent.

Secundum illud videretur, quod Sanctitas Sua primo quoque tempore prosequendum curaret Concilium oecumenicum, nec bella moverentur, quae corpora perimunt. Nam haec, de qua nobis sermo est, omni bello truculentior pestis est, necat enim animas [175r] et precium pars hic corpore maius habet [?]. Novimus multa Concilia ad sedandos bellorum tumultus coacta fuisse. Tantum abest, ut propter bella Concilium destitui debeat. Nec videmus, quo faciliori modo desiderium nationalis Concilii extingui debeat, quam celeriori generalis celebratione Concilii - in loco tamen libero et nulli Regum subiecto, ad quod sub gravissimis poenis omnes, qui de iure vel de consuetudine venire tenentur, accedere debeant, et non hi pauci tantum, qui a Regibus mittuntur, caeteris domi retentis.

Illud et tertium occurrit, quod Regibus et Principibus ipsis tot et tanta privilegia quotidie non concedantur, quae Ecclesiarum iura, immunitates et libertates enervant. Nam si penes Capitula essent [175v] Episcoporum electiones, ut sunt in Germania, fortasse alios se viros contra fidei Ecclesiae hostes praestarent ipsi Episcopi atque nunc praestant; quod praeterita tempora satis nobis exempli ostendere possunt.

Quartum demum remedium, quod ad Sedem Apostolicam attinet, esset, quod collationes Canonicatum et aliorum beneficiorum, praesertim curatorum, quae per Sanctitatem Suam in hoc Regno fiunt, intuitu Ecclesiarum, non autem personarum fierent, et viri docti et boni assumerentur, qui verbo et exemplo populos pascerent et personalem residentiam omnino apud collatas Ecclesias facere tenerentur; qui etiam, si ante beneficiorum adeptionem diligenter super vita et moribus atque doctrina examinarentur, [176r] valde consultum esset Ecclesiis.

Venimus nunc ad aliam haereseos causam, quae D.norum Episcoporum nostrorum negligentiae attributa est, clericorumque vitae impuritati, in primisque morum reformationem in ordine ecclesiastico, tam in capite quam in membris, aut potius, si fieri posset, tam in ecclesiasticis, quam etiam in saecularibus et in sublimitate constitutis personis, ad repurgandam ab hae-

resibus catholicam fidem atque religionem censemus plurimum esse utilem atque necessariam. Agnoscimus enim mores nostros a prisca illa ecclesiastica disciplinae norma multum deflexisse, indeque omnium malorum causam exortam esse. Subscribimus vero in hoc omnes, ut Catholica et modesta, pro temporis congruentia, fiat reformatio inter ecclesiasticas personas morum et [176v] abusu, iuxta canones Sanctorum Patrum et sanctiones nostras Synodales, quae tamen duret et inviolabiliter servari debeat.

Et quia nunc Episcopi ad nominationem Regiae Maiestatis conceduntur Ecclesiis Cathedralibus, valde opportunum esset, si omnes nominati indifferenter, antequam a Sede Apostolica praeficerentur, sub districti examinis rigore de vita, moribus et literatura, fama eorum et pristina conversatione, quibus mediis ad dignitates ascenderint, et magis in Romana Curia quam hic discuterentur. Et demum tales Praelati haberentur, qui scirent et possent, dignique essent Ecclesias regere. Licet enim Maiestatis Regiae intentio sit optimos quosque viros nominare, attamen cum sit aliis pene infinitis occupata negotiis, illi quandoque surripitur ab his, qui lateri eius adhaerent, et pro [177r] auro non nunquam supponitur ei auriculum.

His deinde, quos de praesenti habemus, omni cum reverentia suggerimus, ut Curias suas reforment, secundum praescriptum Canonum vivant, ex negligentibus fiant diligentiores speculatores, exploratores et indagatores Dioecesium suarum. Circumeant quolibet anno Dioeceses suas, Synodos etiam Dioecesananas celebrent quolibet anno, vitiosos arguant synodaliter, et unumquemque delicti sui pudeat; et alias in vitam Cleri, et alias in mores ac doctrinam intendant. Curam saecularium rerum omnino contemnant et spiritualium assumant, quae est eorum propria oeconomia. Ecclesias Parochiales reforment, ut in eis idonei Praesbiteri et non nisi prius de vita, moribus, eruditione bene et diligenter examinati ponantur; et laicos et pueros ex eis eliminant. Ad praedicandum facile quenquam non admittant, [177v] et certum modum praedicandi, ab Ecclesia receptum, illis tradant. Bibliothecas saepius revideant et libertatem imprimendi quibusvis impressoribus, nec non vendendi bibliopolis auferant. Ut unusquisque Parochorum pro concionibus auctores bonos, ab Ecclesia receptos, iuxta dispositionem Statutorum Provincialium habeat<sup>599</sup>, ut sit in omnibus Parochiis vera et sana Domini Nostri Iesu Christi doctrina.

Caeterum Domini ipsi Episcopi vitam suam, quae ubique male audit, pace ipsorum sit dictum, reforment, et quemadmodum caeteris praestant dignitate, sic praestent exemplo et laudabili conversatione. Ex cupidis et avaris sint munifici et liberales, in pauperes primum, deinde in alios etiam viros equestris ordinis, eosque citra iacturam suam sibi et Ecclesiis [178r]

---

<sup>599</sup> Huiusmodi statutum iam a synodo Lanciensi a. 1527 decretum (cfr. Subera, p. 83-84), a subsequentibus synodis, praesertim Petricoviensibus a. 1542 et 1551, una cum aliis supra nominatis statutis tempore Reformationis receptis, ad debellandas haereses et vitam cleri ac curam animarum emendandam spectantibus, iterabatur (cfr. Subera, p. 91-98).

suis denuntient. Hospitalitatem servant. Ex Curiis suis haereticos eiiciant. Doctos viros et Sacerdotes reliquamque familiam in Curiis suis exemplarem habeant. Cessent in eis scandala et oppressiones subditorum. Revocentur pro maledictionibus benedictiones. In reliquo tollantur e medio causae, quae eorum praestiterunt occasionem. Quibus sublatis, auferentur effectus. Cesset omne studium exaltationis fratrum, nepotum et consanguineorum suorum, quorum causa etiam pii Pontifices ab officio suo quandoque deviant. Si enim sui eorum non dominarentur, tamen immaculati essent et emundarentur a dicto delicto maximo<sup>600</sup>.

Capitula pristinam suam auctoritatem retineant in commonefaciendis Episcopis, et eorum admonitiones grato suscipiant [178v] animo. Hoc enim semper praesentaneum fuit remedium ad continendos dissolutos Praelatos, maxime oppressores subditorum Ecclesiae.

De reformatione etiam Cleri, qui est articulus secundus, dicimus neminem esse, qui non viderit Clerum reformatione in vita et moribus ac toto statu suo egere. Quae, ut apprime est necessaria et utilis in Ecclesia, ita nobis est optabilis, ut modo fiat, ut dictum est, tam in capite, quam in membris, ut tollantur inde omnes occasiones scandalorum, unde expectatur exemplum. Et modo omnes Religiosi, praesertim qui mendicantes appellantur, quoniam et ipsi non minus quam Saeculares Clerici ea indigent, in dicta reformatione [179r] includantur. Sed adversarii Ecclesiae talem forsán reformationem volunt, ut Clerum, atque adeo Ecclesias ac Monasteria omnibus proventibus et bonis immobilibus spolient et exuant, quo postea facilius Clerum opprimant. Quod nullo pacto eis concedendum est rationibus multis, quae hic adduci possunt.

Quod vero ad caput odii Saecularium contra Clerum et ad inhiationem eorum ad bona Ecclesiae attinet, hoc plus quam verum esse asserimus, sed si Clerus bene viveret, si Saeculares in suis paupertatibus adiuvaret, si filios eorum in disciplinis eorum studiorum faveret, si eorum filias, quo honeste nubere possint, aliqua elemosina solaretur, ut prisca Patres nostri facere consueverant [179v], facile rancor et inhiatio ista tolli possent. Nihil enim magis infensorum odium placat, quam liberalitas, elemosina et elargitio.

Et quod diuturna pax in ordine militarium bellum nobis cum Deo et eius fide pepererit, inficiari non possumus. Verum his severissimis compellendus esset poenis, ne ad libros haereticorum manus poneret, neve in his se exercceret, quae muneris sui non sunt, sed eorum, qui ad Ecclesiarum regimina, Deo vocante, asciti sunt, cum ipsi oves sint et ad eos discere pertineat, non docere, quod Pastorum proprium officium est.

Quamvis autem de Regia Maiestate, Domino Nostro clementissimo, tacere hoc in loco maluissemus, quam aliquid dicere, [180r] cuius mens semper

---

<sup>600</sup> Cfr. Ps. 18, 44.

pia, catholica et sancta nobis visa est et pluribus in rebus perspecta, quia tamen sine eius auspiciis, ductu et favore nulla, sive pauca, praestari possunt, necesse est, ut de ea humiliter et qua decet reverentia nonnulla loquamur. Primum ergo roganda est Regia Maiestas, ne ad tot tantasque impietates, innovationes conventiculaque, quae quotidie in Regno suo, modo in uno, modo in alio loco fiunt, atque ad Ecclesiarum occupationes et illarum honorum depraedationes ulterius conniveat. Nam tandem haec sic sub silentio tolerata Regni excidium parient, prout Germania, Bohemia et Anglia exemplo nobis esse possunt.

[180v] Regia etiam Maiestas Aulam suam repurgare dignetur obsecranda est, utque ipsa nulli ex haereticis communicet, consiliis eorum non utatur, nec aliquem eorum ad honores aut dignitates vel officia provehat et illis praeficiat. Insuper prohibere omnino Regia Maiestas dignetur, ne Haeresiarchae isti ex Germania in Poloniam veniant, utpote Laski, Calvinus, Melanthon et caeteri eorum similes, qui sua rabie reliquum plebis inficere et Regnum in magnum discrimen civilis belli suis seditionibus possent inducere<sup>601</sup>.

Cum etiam omnium rerum publicarum atque Regnorum fundamentum sit Fides et Religio, et in nostro Regno tam fortes et efficaces leges contra haereticos et innovatores [181r] istos latae sint, enixissime roganda esset Maiestas Sua, ut illas executioni demandaret<sup>602</sup>. Quod quidem ut fiat, nullius magis interest, quam ipsius Regiae Maiestatis, nisi malit videre interitum Regni sui. Nam si isti audent iam, quasi excussa obedientia, literas regias spernere, nec mandatis eius in aliquo parere, futurum est, quod isti, si numerosiores erunt, conabuntur Regem in suam protrahere sententiam et in eundem errorem, quem ipsi sequuntur. Alioqui recepta sensim maiori licentia, audacia et temeritate, cavendum est, ne obedientiam Suae Maiestati interdicanet et pro Rege habere eum recusent. Ista itaque Regiae Maiestati essent inculcanda et persuadenda, [181v] si vult videre salutem Regni sui sumumque quietum Imperium. Executionem legum de haereticis omnino ne differat, ponendo suae Maiestati ob oculos, quod in executione legum huiusmodi continetur nempe unitas, pax, oboedientia et tranquillitas; per conniventiam autem et impunitatem ac licentiam seditio, tumultuatio, discordia, ad ultimum interitus Regni et periculum, quod absit, personae regiae sequitur.

Si (quod absit) Regia Maiestas prohibere haeresim et leges Regni desuper exequi noluerit, quod pro sua pietate nunquam credimus, ex tunc Rev.mi D.ni Episcopi, qui prima loca et vota in Senatu obtinent, cum sibi adhaerentibus protestationem solemnem faciant publice in Senatu, se ad aliqua consilia [182r] alia procedere nolle, per quae in Religione a maioribus eorum recepta mutatio fieri debeat, et per eos non stat, quominus Regno a periculis ob tolerationem haeresis illi imminentibus provideatur, neque se amplius in Senatu tali esse velle, ubi Respublica Regni manifestis periculis per aliquas

<sup>601</sup> Cfr. supra, N. 86.

<sup>602</sup> Cfr. ibidem.